













*[Faint, illegible handwriting on aged paper]*

1.  
39  
4.  
5.  
7  
8  
9  
/





1684.

1. R. Bechmann, Tab. Volk: De jure nummularum. 2 Sumpt.

1700: 1719.

3. Bechmann, Tab. Volk: De teste in propria causa.

4. Bechmann, Tab. Volk: Miscellaneorum dubitationum

ex vario jure de promptuariis centuria

5. Bechmann, Tab. Volk: De casta damnato. 2 Sumpt. 1684

& 1733.

7. Bechmann, Tab. Volk: De amicitia compositione

8. Crophius, Jo. Baptista: De Normannis Siciliae

Neapolisque dominis.

9. Jurrius, Joh. Fridericus: Sceptum boni principis,  
quod pichas Georgii FridERICI Marchionis Branden-  
burgensis praebet.

10. Faschius, Augustinus Henricus: Sterilitas

11. Faschius, Augustinus Henricus: De mola.

12. Grawz, Tobias: De excusatione absentiae

13. Grawz, Tobias: De Electione





1684.

14. Grantz, Tobias: De principiis juris personarum occasione  
re electionis Mestris... Struvi... lib I tit. 3, 4, 13,

14. 15.

15. Grantz, Tobias: De natura et constitutione juris occasione  
re electionis Mestris... Struvi, lib I. tit. 1. i 2...

16. Hartung, Joh. Christophorus: De homicidio indirecto

1741 Hartung, Joh. Christophorus: De schultetibus Heimburgis  
et scabinis paganicis.

18. Hartung, Joh. Christoph: De eo, quod justum est circa  
instrumenta edenda.



an

13,

tion

is

a





*Handwritten text on the right edge of the page, possibly a page number or title fragment.*





3438.

I. N. D. N. J. C. 1684, 15 17.

DECRETO ET AUTORITATE  
*Magnifici Jctorum Ordinis*  
DE  
**NATURA ET CONSTI-  
TUTIONE JURIS,**  
OCCASIONE RELECTIONIS  
ILLVSTRIS

DN. STRUVII JURISPR. ROMA-  
NO-GERM. FORENSIS  
LIBR. I. TIT. I. & II.

SUB PRÆSIDIO  
**TOBIÆ GRANTZ / J. U. D.**  
& Præfecturar. Jenens. Advocati  
Ordinarii,

*In Auditorio Jctorum*  
Ad diem Augusti, CIO IDC LXXXIV,  
HORIS CONSVETIS

*disputabit*  
**FRIDERIC. JACOB. Wienecken/**  
Quedlinb.

AUTOR ET RESPONDENS.

JENÆ  
Litteris NISIANIS.

16.





NOBILISSIMI. CONSULTIS-  
SIMI. EXCELLENTISSIMI.  
AMPLISSIMI. AC. PRU-  
DENTISSIMI.

DOMINI. DOMINI.

CONSULES.  
SYNDICE.  
CAMERARII.

NEC. NON.

RELIQUI. SENATORII. ORDINIS.  
QUEM. UTRAQUE. URBS. INCLUTA.  
QUEDLINBURGUM. CONTINET. VIRI.  
SINGULARI. RERUM. GERENDA-  
RUM. PRUDENTIA.

SPECTATISSIMI.

DOMINI. FAVENTISSIMI.



V O B I S.  
P A T R I B U S. C O N S C R I  
P T I S.  
S A L U T I S. P U B L I C Æ. C O N S E R  
V A T O R I B U S.

*V I G I L A N T I S S I M I S.*  
I N C O M P A R A B I L I B U S. E T. I M M O R T A L I B U S.  
M E R I T I S. I N. P A T R I A M. E C C L E S I A M.  
R E M P U B L I C A M.

M A X I M E. I N C L Y T I S.  
*P A T R O N I S. E V E R G E T I S. ( R E  
S P E C T I V E. P A R E N T I.) A C. P R O M O T O R I B U S.*  
*M E I S. D E B I T O. O B S E R V A N T I Æ. C U L T V. M A  
C T A N D I S. D E V E N E R A N D I S.*

C U M  
S I N C E R A. O M N I G E N Æ. F E L I C I T A T I S.  
A P P R E C A T I O N E.  
D I S S E R T A T I O N E M. H A N C. A C A D E  
M I C A M.

I N S I G N U M.  
P R O M T I S S I M Æ. S V B M I S S I O N I S. E T. O B S E Q V I I.  
D I C A T. A T Q U E D E D I C A T.  
*N O B I L I S S I M Æ V E S T R Æ A M P L I T U D I N I S.*  
C U L T O R. P E R P E T U U S.  
F R I D E R I C. J A C O B. *Wienecken.*



## AD LECTOREM.

**R**em non novam neque insolitam aggredimur; sed & Majoribus, & nostri ævi Scriptoribus placitam; dum occasione Relectionis Illustris **DOMINI STRUVII**, Patroni ac Promotoris nostri quovis honoris cultu devotissimâ submissione maximè suspiciendi, Jurisprudentiæ Romano-Germanicæ Forensis Lib. I. Tit. I. & II. Axiomata quædam, ab Antecessore, Judiciô atque Doctrinâ æque per Germaniam satis illustri, magnam partem concepta, hâc methodo elaborare conati sumus. Facilem itaque nobis de *TE*, *Amice* pariter & *Benevole Lector*, veniam promittimus, si penitioris trutinâ nostrum in disputando scopum attigeris,





DISSERTATIONIS  
 De  
 NATURA ET CONSTITUTIONE JURIS,  
 OCCASIONE RELECTIONIS  
 ILLUSTRIS  
 DOMINISTRUVII  
*Jurispr. Rom. Germ. Forens.*  
 Libri I. Tit. I.

POSITIO I.



Jurisprudencia est divinarum & humanarum rerum notitia, justa atque injusta scientia. *Vlp. l. 10. §. 1. ff. b. t.*

Res enim divinae & humanae pro materia sunt, justum & injustum formam absolvit Jurisprudencia: de quibus in positionibus *seqq.*

Quoad vim autem & effectum officium & finem Jcti, eadem nihil aliud est, quam Justitiam per leges in hominem & Remp. inducendi Prudentia; seu, ut Eid Vlpiano *in l. 1. §. 1. d. 1.* dicitur: vera & non simulata Philosophia, h. e. Legum & Juris Philosophia. Haec enim in genere est rationis scientia, unde Philosophia Juris, qua quis novit dare rationes legum & juris.

Hinc Justinianus in Corpore Juris tractat *partim* illa quae omni in universum Jurisprudencia (adeo & Quiritum) communia,





nia, partim quæ Romanæ propria. Prioris generis sunt tractatus de Justitia & Jure, de Legibus, de Hominibus & Rebus Juri subjectis atq; illorum actionibus (quatenus in Rep. justæ sunt vel injustæ,) per Magistratus Judices, Arbitros dijudicandis. Præterea ibidem haud nuda scita legū, ut sunt Decalogus, XII. Tabb. statuta, traduntur; sed Jurisprudentia, dicta universalis, atque Legum Philosophia docetur, rationibusque optimis invicem collatis, tam Magistratuum quam Jctorum à multis seculis exculta, Constitutione Imperatoria pro legibus firmatis, proponitur, non tantum ut ipsa generalia, quin & universalissima activæ Philosophiæ præcepta & principia inculcentur.

*Ampliatio*

Adeo, ut, hanc esse prudentiam mediam inter Nomotheticam & Politicam si dixeris, five universalem & in specie Nomotheticam atque Dicasticam eandem vocaveris perinde sit. Neque officit hoc Prudentiæ Legislatoriæ, quia aliud est leges condere jure & imperio, aliud condere prudentiâ & ratione, deque conditis ita judicare. Illud Majestatis est, hoc Jcti. Multum vero minus hoc Prudentiæ Civili repugnat, quia amplissima hæc facultas plura alia de Senatoria & similibus quæ ad regendam gubernandamque remp. faciunt habet tractatque, ad leges non spectantia, neque ipsa inde capite minuitur.

Nil quoque mutat, quod multi dentur Periti tantum Juris privati & rerum in foro agendarum, *Pragmatici* vulgo dicti *Rechtserfahrene!* (quin potius aliquando *Rabulæ*) alii item *Leguleji nudi, Theoretici, Critici, Philologi*; quia hoc & Medicinæ accidit & multis aliis artibus & disciplinis activis. Ut hinc aliqui Jurisprudentiam aliam faciant *Theoreticam*, aliam *Practicam*. Ex quibus illa dicitur non quidem ratione ipsius LL. prudentiæ, & quod in theoria ultimato & solius cognitionis causa quiescat, sed respectu hominis huic arti studentis, qui forte propterea saltim addiscit leges, ut earum cognitionem habeat, sciatque eas pro suo emolumento interpretari, item quod prudentia juris sine præcedenti cognitione addisci non possit. Uti vero præsertim hoc, cunctis in pejus vergentibus,  
se-



seculo, multi iudices inveniuntur imperiti, de quibus Jctiffimus iudiciorum suorum Præses Summus Antonius Faber in Epistola Dedicatoria Operis de Erroribus Pragmaticorum eleganter loquitur: Mos sollemnis est istiusmodi hominum, ut, siue delirent, siue casu forte recta sentiant, omnia referant ad equitatem, quam pro arbitrio sibi fingunt, ut magni non juris tantum, sed quod in Jure præcipuum est equitatis arbitri aestimentur. Quod si ad eorum ineptias profligandas Papiniani autoritas, & quod est consequens, non mera solum sed vera etiam probaque juris æquissimi ratio aliqua objiciatur, tunc istam nudis quod ajunt ridere dentibus, & subtilitates istas, aucupia & apices dicere solent; ut quia nihil habent, quod commode respondere possint, honeste saltim conticescant. Contra autem sæpissime & Causidicina & Judiciaria etiam ab egregiis Legū Philosophis exercetur, exemplo modo laudati Antonii Fabri, supremi Sabaudix Senatus Præsidis, & Hugonis Grotii olim Fisci Holl. post Synd. Advocati Roderodam. &c. ac aliorum. Sic etiam dantur & veri & perfecti Jcti Rechtsgelehrte/ supra laudata vera Legum Philosophiâ, & cognitione Legum Publicarum Privatarumque & Praxi abunde suffulti l. 1. §. 1. ff. h. t.

Ex quibus pro declaratione ipsius Positionis patescit vocabula: *Notitia & Scientia* generis loco in Definitione Jurisprudentiæ posita, maxime improprie accipienda pro quacunque rei vera cognitione: cum versetur circa ea quæ fiunt ut plurimum l. 3. & 4. de LL. quorumque certa est, quamvis non sit simpliciter absoluta & cathégorica demonstratio, ut infra Pos. 15. circa fin. docebitur.

Interim vero quia Jurisprudentia quid agendum vel omitterendum sit tractat l. 2. in fin. ff. de LL. & in contemplatione non acquiescit, sed operationibus fungitur; ut in cautionibus contractuum, testamentorum; latione legum, sententiæ, responsisque (quæ omnia operatur Jctus) conspicuum est, rectissime omnium Prudentiæ nomine venit, siue eandem concipias, ut dicitur Leges condendi, & de conditis judicandi, siue ut conditas interpretandi & exequendi asseritur. Illa namque præest Reip. per Jura & Leges regendæ, gubernandæque &

Notio-



*Nomothetica* dici meretur, *Architectonica* 1. *Ethic.* 1. *vers.* cum enim cæteris activis scientiis: quam Plutarchus in *Themistocle* dicit à Solone extitisse; fundatam in eo, quod consilio & ratione regatur & leges condere, & de conditis judicare; (Unde lex ipsa dicta summa ratio Demostheni & summæ Stoicæ Sapientiæ Philosopho Chrysippo l. 2. ff. de LL.) in hisce tribus præcipuè occupatam, scil. (1.) In *Cognitione* eorum, quæ ad Justitiam in Remp. inducendam per leges necessaria sunt, ex natura & conditione Justitiæ & Injustitiæ, Reip. & Legum eruenda. (2.) In ipsa Juris Legumque condendarum *ratione*; quæ omnis versatur, tum in iis, quomodo circa unamquamque rem propositam investigetur vel declaretur quid justum vel injustum (ex principiis variis justis & injustis, rebus Juri subjectis earumque qualitatibus; nec non quomodo hæc invicem recte conjungantur) probe cognitis, tum ut Leges recte concipiantur & in Rep. recipiantur, tum ut dictæ leges rebus & hominibus æque sint accommodatæ. (3.) Quomodo Justitia per Leges in Remp. re ipsa inducatur. Introductione scil. Legum Usu & Exercitio, Mutatione, & Emendatione. Hæc *Dicastice* seu *Judiciaria* est, quâ opus legibus exequendis, & ad affectum deducendis, in Judice & Jcto, ut Majestatis vicariis, legislatoribusq; quasi secundariis & succedaneis conspicua l. 12. & l. 13. ff. *Legib. Conf. Dn. Hahn. ad Wesenb. h. t. n. 14.*

## II.

i. Quæcunque res ita comparatæ sunt, ut leges de iis ferri illisque applicari possint, illæ spectant ad Jurisprudentiam.

*Ratio.*

Quia Jurisprudentiæ finis est in actiones hominum Justitiam inducere, ut scil. ipsi Justitiæ & Reip. Legibus sint conformes. Ergo res aptæ debent esse, ut leges de iis ferri, illisque applicari possint, cum lex sine applicatione sit otiosa.

*Exempl.*

Sic ad Jurisprudentiæ Objectum pertinebunt res divinæ, quoad cultum externum. Res impossibiles vero huc non spectant quia earum nulla est obligatio l. 26. ff. de V. O. Nec cogitationes huc referendæ.



Quamvis enim leges ferri possint, ne quis mala cogitet; *Declaratio*  
 præterquam tamen quod motus primo primi in hominis po-  
 testate non sint, nec per consequens moralem, multo minus  
 juridicam considerationem mereantur: ipsi quoque motus se-  
 cundo primi; quamvis non omnem mentis deliberationem an-  
 tevertant, sed delectationem morosam inducant, cujus penitior  
 objecti cogniti investigatio & in ea cogitatione veluti defixio  
 imperari a voluntate potest, adeoque si appetitus desiderii ad  
 tale opus perficiendum accedat, quantum ad actum interio-  
 rem peccatum consummatum constituent Matth. 5. vers. 28.  
 vid. Magnif. Dn. Stryk. de *J. S. Diss. 10. cap. 6. n. 2. cum seqq.*  
 dum civilem societatem non lædunt, extra civilem Jurisdicti-  
 onem sunt. Naturæ enim humanæ congruum non est, ut ex  
 actibus mere internis jus aut obligatio inter homines nascatur  
 Grot. de *J. B. & P. Lib. 2. Cap. 2. n. 18.* ibique Dn. Ziegl. §. 39. p.  
 464. Nec per consequens ob negationem applicationis legum  
 puniri possunt. Conf. præter *l. 18. ff. de Pœn. infra Pos. 3. & 4.*

III.

Quatenus res divinæ actibus externis expedi-  
 untur eatenus sunt objectum Jurisprudentiæ.

Ratio desumenda ex regula antecedenti. Quatenus enim *Ratio.*  
 externæ sunt, eatenus possunt judicari, & eatenus judex de iis  
 rebus quæ licet in animo consistunt, modo tamen verbo do-  
 ceantur, potest cognoscere.

Ita Princeps ex Jure Episcopali (ut loqui solent licet mi- *Exempl.*  
 nus recte vid. Nov. 6. in præf.) cum Marciano Imp. in *l. 4. C. de*  
*Sacram. Trinit.* poterit prohibere; ne turbulentis disputationibus  
 theologicis, phrasibus novis, tumultibus & perfidiæ occasio  
 detur. Add. Dn. Brunn. in *Comm. ad d. l. 4. & Recess. Imp. de Anno*  
*1548. §. Und nach dem wir uns &c.* nec non Flor. *Lib. 3. Cap. 19.*  
 & Tacit. *Lib. 2. Hist.* aut concionatores plane hæresin doceant  
 vid. Dn. Carpz. de *Leg. Reg. Cap. 2. S. Et 1.* Hinc Reges Galliæ  
 meruere nomen Christianissimi; Hispaniæ Catholici; Angliæ  
 Defensoris Fidei; Germaniæ Sacratissimi; Muscul. de *Success.*



*Convent. Class. 1. Membr. 3. n. 76.* Et nostri Imp. Germani ob susceptas pro defensione Religionis expeditiones, dicuntur Advocati, Protectoresque Ecclesiae c. *venerabilem vers. Numquid X. de Elect. clem. un. de Jurejur. Recess. Imp. de Anno 1512. §. Und nach dem wir Anno 1518. §. Erstlich! Anno 1548. §. Damit aber. Add. Lupold. de Bebenburg. Episc. Bamberg. de Zelo Antiq. Princip. Germ. Cap. 4.* Ubi laudantur exempla Caroli Martelli, Pipini, Caroli Magni, Ludovicorum, Ottonum, Henrici III, Lotharii II. Quod etiam exemplo suo jamdudum probavit Justinianus *Nov. 3. in fin.* Probavit etiam Sereniss. Elect. Sax. Christianus II. *in Ord. Appell. de Anno 1507. in Prefat. §. Nach dem wir uns/vers. Das uns/Sc.* Quos strenue & impigre imitatum fuisse Sereniss. Elect. Joh. Georg. I. probat. Dn. Mart. *in Comm. ad Prefat. Ord. Jud. Sax. n. 1.*

*Ampliatio.*

Nec obstat, quod Reinhardus Bachov. *ad §. ult. Inst. de J. & J. rationem daturus* quare in Institutis tantum de Jure Privato agatur, Jus sacrum ad Jctos non spectare censeat. Nam illud, ait, quod olim in Sacris occupatum erat publicum Jus, jam explosum & damnatum; & apud Christianos Sacrorum tractatio & explicatio ad Jctum non pertinet. Enimvero si per Jus explosum intelligit, quod de Sacris Paganorum, fuit, verum est quod dicit, id jam fuisse damnatum. Si vero id ad Jctos non pertinuisse censet, falsus est: cum Ulpiano Ethnico *in l. 10. §. fin. h. t.* Jurisprudencia dicatur & rerum divinarum & humanarum notitia. Gajo *in l. 1. ff. de R. D. res sunt divini vel humani juris; distinctio quoque quae res dicuntur sacrae, sanctae, religiosae Imp. §. 7. Inst. eod. ex Jure Pontificum Gentilium desumpta est, arg. §. 8. d. t.* Quod vetus Jus dum ad Jctos spectasse fatetur *ad τὰ ἁγία p. 76.* ratio certe nulla est cur sacrorum tractationem atque expositionem apud Christianos ademptam velit Jctis. Vel enim sacra accipit, quae ad Verbi divini ministros pertinent, atque ad potestatem eorum internam, & tunc absurdissima dubitatio est, cum sint diversissimi generis à nostra Jurisprudencia: vel sacra vocat Jura de Sacris constituta, atque injurius sibi ipsi est, Jcto, totique Jurisprud.



prudentiæ. Legum namque latio ratione sacrorum, quoad externam quidem Ecclesiæ gubernationem, ad omne id se extendit, quod quocunque modo Reip. utile esse potest, sive cultum ipsum sacrum concernat, sive Res ad illum necessarias, sive Personas ipsi inservientes. Cum autem sine Religione, nulla societas salva esse queat, eaque adeo tanquam fundamento unice nitatur civilis communitio, Reip. quoque plurimum interest, ut cultus divinus bene se habeat. Hinc etiam hæc potestas externa circa sacra non tantum initio rerum, ipso Jure Naturæ adeoque DEO authore Principibus Orthodoxis tributa est, sicut Sacræ Historiæ in Pandectis divinis testantur de omnibus Sancti DEI Populi Regibus & Judicibus; Nec non postea apud Impp. qui veram de DEO doctrinam amplexi sunt, tam quoad habitum quam exercitium constanter permansit sicut Historiæ demonstrant, & ex Justiniano Codice satis probari potest; sed etiam Legum istarum tractationem & interpretationem ad JCtos non posse non pertinere dicendum est.

Ad quas Consultationes tamen Principes vocare solent *Declaratio*, Theologos, prout ordinatio nostra Ecclesiastica & Consistorialis satis testatur, quo ipsi tanquam publicæ lege sic associati, & Principali auctoritate constituti consilia communicent; hanc potestatem cum Impp. olim Christianis, uti ex innumeris Theodosii & Justiniani Codicis Constitutionibus apparet, ultra nudam Canonum & Epistolarum Pontificalium custodiam (licet Canonistæ Principis munus eò tantum restringere velint vid. Petr. de Marca de Concord. Sacerd. & Imp. Lib. 4. Cap. 1. n. 2.) sibi vindicantes. Dn. Carpz. Juristr. Consist. Lib. 1. Tit. 1. Quo facit Recept. Imp. 1555. §. 140. verb. Darzu sich ein ieder mit seinen Gelehrten und Theologis mitlerweile dermassen gefast machen &c. Maximâ tamen adhibitâ cautione, ne dum nimio opere allaborant uniformitatem cultus conciliare vincula, ac Leges Charitatis ac Societatis laxent. Quod nihil aliud esset, attestante Bacon. Serm. Fidel. Lib. 3. p. 18. quam alteram ex Tabulis Legis in alteram allidere, & in tantum homines ut



nostræ Religioni addictos intueri, ut interim obliti videantur, quod sint homines Conf. Goldast. *Const. Imp. Reinking. Bibl. Politey Lib. 2. Ax. 136.* Dn. Conring. *Præf. Polit. in Arist.* Sed vocatis prius in consilium viris sanctis & innocentibus, irâ, odiô, invidiâ, vacuis; Patriæ, Civium, ac Publicæ magis felicitatis, quàm sui commodi studiosis, qui nihil aliud cogitant, sentiuntque, quam quod justum, quod verum, quod profuturum publicè, & dignū majestate sua, ut, si non avtheticum & infallibile, discretivum tamen seu decisivum judicium ferant, & denotent religionem, quæ in posterum in ditionibus suis publicè doceri debeat. Hoc casu enim, cum nullum imponatur vinculum, præsupponimus enim necessitatem credendi subditis non obtrudi, sed circa externum cultum & politicam tolerantiam saltim disponi, quis ex justo incusabit Principem, vel non laudabit potius? Conf. Grot. *de Imp. Summ. Potest. circa Sacr. Cap. 8. p. m. 198.*

IV.

§. 2.

Quotiescunque internæ mentis cogitationes se nulla ratione exerunt, toties ad Objectum Jurisprudentiæ non pertinent.

Ratio.

Cum Magistratus contentus sit obedientia externa, non vero de internis judicet, aut ad internos animi motus leges suas extendat *arg. l. 18. ff. de Poen. Grot. de J. B. & P. Lib. 2. Cap. 20. n. 18. ibique Dn. Ziegl. §. 39. p. 464.*

Ampliatio.

Adeo, ut ne quidem aliquid operentur in Crim. Læf. Majest. cum verbum *cogitandi* in l. 5. C. ad L. Jul. Majest. [latius accipiendum vid. Gædd. ad l. 225. de V. S. n. 6. Clar. Prax. Crim. q. 91. n. 1. Card. Tusch. Præf. Concl. Tom. 1. lit. C. Concl. 409. n. 2.]

Exempla.

Quodsi proinde actus interiores connexionem quandam habeant cum externis omnino ad objectū hoc spectabunt. Ut si v. gr. cogitatio concernat Causam Finale[m] actus exterius gesti, quæ Causa Finalis cum utriusque contrahentium cognita fuerit, non opus fuit exprimere, quod tali vel tali cogitatione id fiat Dn. Brunn. l. 25. C. de Transact. ut in dotis promissione

l. 6.



*l. 6. pr. ff. Caus. Dat. Caus. non Secut.* (2.) Si cogitatio ex natura contractus vel negotii gesti oriatur vid. *l. 3. ff. de R. C.* (3.) Ex conjecturis de proposito constare possit, ut in ultimis voluntatibus vid. *l. 24. ff. de Reb. Dub. l. 27. de Condit. & Demonstr. l. 12. ff. de Reb. Dub. l. 75. §. 2. ff. de Legat. 1. l. 34. de Usufr. l. 75. de Legat. 3. l. 44. in fin. ff. de Manumiss. Testam. l. 21. §. 1. ff. Qui test. fac. poss. l. 50. in fin. ff. de Legat. 1.* (4.) Aut cogitatio talis vel propositum ex dispositione Juris præsumatur ut in Donatione Mortis causa. *l. 29 ff. de D. M. C. Retinenda Possessione l. 3. §. 11. ff. de Retin. Poss. l. 6. in fin. & l. 46. in fin. ff. eod. &c.* Quæ omnia pluribus deducit Magnif. Dn. Stryk. *Tract. de J. S. Disp. 10. Cap. 4. 5. 6.* Quo etiam spectant omnes præsumptiones Juris, quales habentur *l. 34. ff. l. 11. C. de N. G. l. 15. C. eod. l. 24. ff. de Probat. l. 2. §. 1. ff. de Pact. l. 20. §. 6. & 7. l. 50. Fam. Hercisc. l. 14. §. 7. & 8. ff. de Rel. & sumpt. fun. l. 18. §. 1. ff. ad L. Corn. de Fals. l. 57. ff. de Jur. Dot. l. 16. C. de Probat.*

Per repercussum tamen, ut quia actio per imperantis interdictionem facta est illicita, ideo & cogitando talem actionem ut faciendam eligere, illicitum est: non quod cognitioni humanæ sit posita, sed quia nemo honeste potest velle facere, id, quod factum turpe est vid. Grot. *de Imp. Summ. potest. circa sac. Cap. 3. p. 44.* & Svarez. *de Legib. & Legumlat. lib. 3. cap. 13.* Sic ad ulterum Tryphoninus Jctus ex sola animi propositione dicitur, ait; etsi nunquam alienam matrem, aliquis corruperit *l. 225. ff. de V. S.* Cum autem ea peccata civilem societatem non lædant extra civilem jurisdictionem sunt constituta. Quò spectat *§. 13. c. 15. q. 1. & in primis d. l. 18. ff. de Poen.*

Declaratio

V.

Quotiescunque internæ mentis cogitationes se ulla ratione exierunt, toties ad Objectum Juris prudentiæ pertinent, & puniri possunt.

Quia eatenus illæ dijudicari possunt, & jus illis applicari potest juxta Posit. 2. & eatenus poterit etiam peccari in salutem & utilitatem publicam.

Ratio.

B 3

Inde



*Exempla.*

Inde non extra crimen est, qui conspiravit in necem Principis, qui venenum coxit, aut cum telo ambulavit hominis occidendi causa, qui alienas nuptias interpellavit, qui stupri causa virginem in terram prostravit, tametsi perficere non potuit  
*Conf. l. 20. C. de Furt. l. 1. §. 3. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. 3. §. 11. ff. de Re Mil. l. 3. C. de Serv. Fugit. l. 1. in fin. ff. ad L. Pompej. de Parricid. l. 9. §. 2. ff. ad L. Jul. de Adult. Add. Carpz. Pr. Crim. q. 17. n. 15. Anth. Matth. de Crim. in Proleg. Cap. 1. n. 6.*

*Declaratio.*

Quod si autem hoc modo conatus actui externo in delictum tendenti junctus impeditus fuerit principio extrinseco pœnam in foro externo meretur ordinariam, quia quantum in delinquente fuit, nihil plane intermissum, quominus delictum consummaretur. Quo spectant modo allegatæ leges. Aliud si internum aliquod impedimentum intervenerit, quo casu extraordinaria, aliquando etiam plane nulla pœna locum invenit.

Coeterum interpretes Juris Sax. imprimis, adhuc distinguunt conatum; utrum ad actum proximum, an vero remotum saltim pervenerit & impeditus fuerit externo principio. Hoc casu ordinariam pœnam cessare omnes fatentur vid. Carpzov. d. l. n. 36. Add. Qu. 22. n. 70. Quæst. 19. n. 55. Add. Ziegl. ad Grot. de J. B. & P. Lib. 2. Cap. 20. §. 39. Illo vero casu delinquentem pœnâ ordinariâ plectendum esse Dd. concludunt teste Carpz. P. 4. C. 17. D. 4. & Prax. Crim. q. 22. n. 71. cum seq.

VI.

§. 3.

Quoties lex aliquid præcipit vel prohibet super re moraliter indeterminata, toties obligat in conscientia.

*Ratio.*

Partim quod DEUS præponendo Magistratum simul obligari voluit subditorum conscientias ad præstandam eis obedientiam sub peccato mortali & metu offensionis divinæ *Osiand. in Not. ad Grot. Lib. 1. Cap. 1. §. 14. Observ. 2. Svarez. de LL. Lib. 3. Cap. 21.* Partim quod Leges ob publicum commodum latæ, quod quilibet pro viribus promovere debet.

Licet



Licet de legitimitate Principis dubitetur dum malis artibus potestatem illam sibi forte acquisivit; si non ex obligatione legis, tamen ex ea, qua quis etiam Patriæ & sibi ipsi obstrictus.

*Ampliatio*

Aliud si (1.) Princeps plane sit injustus arg. *l. ult. ff. de Jurisdict.* (2.) Leges jubeant injusta arg. *Act. 5. vers. 29. l. 15. ff. de Condit. Inst.* (3.) Aut nullam actui tribuant moralitatem, sed tantum formam præscribant vid. *l. 5. C. de LL. l. 12. C. de Testam. s. t. C. de Præd. Minor.* (4.) vel additione pœnæ libertatem actus arbitrio subditorum relinquunt, aut denique (5.) in nudis terminis permissionis consistant.

*Limitatio*

Sic si Princeps legem ferret de finiendis determinato tempore convivii nuptialibus obligaret in conscientia. Non autem obligaret lex uxoribus in maritos imperium concedens: nec si actus lex Jure gentium provenientis, ex rationibus civilibus ob Reip. utilitatem particularem, eidem adjectæ solennitates, vel substantialia non fuerint observata Conf. Illustris Dn. Struv. *Exerc. 1. th. 58. n. 3.* Idem dicendum de Legibus mere pœnalibus vid. Sanderson. *de Oblig. Conscient. Præl. 8. §. 11. cum seqq.* Legum permissivarum varia exempla recensent Dn. Pufend. *El. Jurispr. Univers. Lib. 1. Def. 13. §. 6. & 7.* & Dn. Mev. *Prodrom. Jur. Gent. Insp. 6. §. 26.*

*Exemplum*

Est autem proprie in conscientia obligare nihil aliud quam sic aliquem adstringere ad obediendum; ut si non pareat, tam divinis quam humanis pœnis obnoxius reddatur vid. Illustris Dn. Struv. *Ex. 2. th. 13.*

*Declaratio*

## VII.

Quoties lex pronunciat actum validum vel invalidum, cui tamen subest naturalis ratio, toties non sum securus in conscientia, si non præstiterim id, quod naturalis obligatio præcipiebat.

Cum Legislatoris intentio non sit obligationem naturalem hoc modo tollere, quippe quod nec Legislator humanus

*Ratio*  
facere



facere potest, sed actum solum invalidare ob publicum inter-  
esse civitatis, cui nulla tribunalia forent suffectura expedien-  
dis litibus, & in qua vix tutum alicui contractum celebrare, si  
ob quamcunque minutam læsionem Prætor posset adiri. Dn.  
Brunn. in *Comm.* ad l. 2. C. de Rescind. Vend. n. 2. & Dn. Pufend.  
de J. N. & G. Lib. 2. Cap. 3. §. 9.

*Exemplum.*

Ita, ut lex non rescindat venditionem, qua quis de-  
mum usque ad dimidiam læsus: in conscientia tamen ille se-  
curus non erit, nisi superfluum restituerit vid. *Exod.* 22. vers. 5.  
*Levit.* 6. vers. 1. cum seqq. *Num.* 5. vers. 7 cum non possit esse ser-  
vatio nec nova obedientia, ubi contra Justitiam Commu-  
tativam scienter res aliena retinetur, indeque & frustra spera-  
tur venia Dn. Brunn. ad *Reg. Jur. Can.* 4. Lib. 2. Conf. Dn. O-  
sland. ad *Grot. de J. B. & P.* Lib. 2. Cap. 12. §. 12. *Obs. un.*

*Limitatio-  
nes*

Modo præstatio sit possibilis vid. c. 1. c. 14. qv. 6. c. 5. X. de  
*Usur. & text. in l. continuu ff. de V. O. c. Odoardus X. de solut.* (2.) Is  
cui facienda erat præstatio oblatam accipere non recuset Dn.  
Brunn. d. l. n. 19. (3.) Aut nisi Lex Civilis hanc præstationem  
expresse prohibeat, ut in filiofam. mutuum accipiente t. 1. ad  
*Sc. Maced.* (4.) Vel obligatio saltim sit generalis, quippe quæ  
non stringit casum specialem. Cujus exemplum est in depo-  
sito restituendo l. 31. ff. *depos.* Conf. *Grot. de Imp. Summ. Potest.*  
*circa sacr.* Cap. 3. p. 44. de *J. B. & P.* Lib. 2. Cap. 20. n. 18. & 39. *Sva-*  
*rez. de LL.* Lib. 3. Cap. 13.

*Declaratio*

Constat itaque non illa tantum licere, quæ neque divina,  
neque humana lege sunt interdicta; sed & quæ legi quidem  
divinæ naturali aut positivæ adversantia, Jus civile permittit,  
i. e. in foro humano neque prohibet, neque punit. Quæ ta-  
men permissio cum non sit actio sed actionis potius negatio;  
nec jus alicui concedit actiones moraliter illicitas omnino licite  
exercendi, nec efficit ut ille actus non sit contra Jus Naturæ,  
aut extra pœnæ divinitus imminentis metum, sed impunita-  
tem tantum præstat; actum vero ipsum non constituit in genere  
justorum, vel eundem approbat suadetque, sed potius circum-  
scribit, limitat, & restringit vid. *Grot. de J. B. & P.* Lib. 1. Cap. 1.

§. 17.



§. 17. § Lib. 3. Cap. 4. §. 2. § Cap. 10. §. 1. § 2. Dn. Pufendorf.  
Elem. Jurispr. Univers. Lib. 1. Def. 14. §. 2.

VIII.

Quodcunque in universum, in quovis loco ac tempore, ac in universa Rep. justum est, sive: Quicquid reflectit simpliciter ad voluntatem divinam moralem; illud demum spectat ad Justitiam Universalem. §. 4.

Justitia enim universalis causam universalem & objectum universale habeat necessum est. Ratio.

Ita Præcepta Decalogi, excepto tertio vid. Tacit Lib. 21. Exempla. Annal. pertinent ad Justitiam Universalem, non ita divortia Judæis concessa.

Ex quo apparet universale justum non effici; licet quis omnibus Reip. legibus conformis vivat ut putat Arist. Lib. 5. Eth. Cap. ult. nisi quoque hæ leges exactissime conformes sint voluntati divinæ morali. Si autem huic conformem vitam aliquis instituere vult, non debet attendere quid in Rep. justum, sed quid ex voluntate DEI justum Magnif. D. Stryk. Annot. ad pr. Inst. de J. & J. voc. Cuiq.

IX.

Quicquid intendit salutem Reip. non absolute respiciendo ad id quod voluntati divinæ naturali congruum, illud pertinet ad Justitiam Particularem. §. 5.

Justitia enim Particularis ad suam Remp. applicando præcepta Justitiæ Universalis in quantum hoc salus publica admittit sapius eidem aliquid addit vel detrahit l. 6. ff. de J. & J. adeo ut Justitia Particularis sub universali comprehendi videatur; hæc fit thesis, illa hypothesis.

Exempla præbent Leges omnium Rerumpp. cum nulla

C

un-





unquam Resp. exacte pro fine habuerit Justitiam Universalem,  
nec ob corruptam humani generis indolem habere potuerit.  
Magnif. D. Stryk. d.l.

*Declaratio*

Quamvis si Salus illa Publica, vel Intentio bene admini-  
strandæ Remp. sive secundum Arist. universalis obedientia erga  
omnes leges societatis Politicæ pro Justitia Universali capiatur  
non dissentiamus cum Magnif. D. Stryk. d.l. à Dn. Hahn. ad  
Wesenb. Paratitl. verb. Atque hæc quidem de Justitia h.t. p.m. 29. Add.  
Dn. Franzk. Eod. n. 39.

X.

*S. 6.*

Quoties munus singularem dexteritatem & di-  
ligentiam requirit, toties conferri debet iis, qui ma-  
gis sunt idonei. Dn. Brunn. in Comm. ad l. ii. ff. de  
Muner. & Honor. n. 3.

*Ratio.*

Expedi enim publice ut in primis idoneitas spectetur, ac  
de aliis conditionibus postea disputetur d.l. ii. §. 1.

*Exempla.*

Hinc Alexander M. jamjam moriturus interrogatus, quem  
Imperii sui successorē esse vellet; oblitus amicorum & necessi-  
tudinum, dignissimum nuncupavit heredem. Justin. Lib. 12.  
Hist. Octavianus Augustus Imp. Rom. nunquam filios suos  
Pop. Rom. commendabat nisi cum hac clausula: *Si merebun-  
tur.* Sveton. in *Ejus Vit.* Cap. 56.

*Applatio.*

Quamvis per statutum certæ conditionis homines ad of-  
ficiū aliquod administrandum requirantur v.gr. Ut in Civi-  
tatis Syndicum vel Judicem nemo eligatur, qui sit extraneus,  
adsint autem Extranei magis idonei Dn. Brunn. d.l. Imo si  
Judex solitarius requiratur, nullisque Assessoribus stipatus,  
Extraneus Originario etiam ex hac ratione præferendus vide-  
tur, quod respectum personarum privatum non ita sit habitu-  
rus, nec adeo sæpe recusandus veniat vel ob consanguinita-  
tem c. 36. X. de Appellat. l. 5. ff. de Injur. l. 9. ff. de Lib. Caus. l. 10. ff. de  
Jurisdic. vel ob affinitatem d. l. 10. ff. de Jurisdic. vel ob familia-  
ritatem cum inimico seu adversario per rationem l. 28. C. de In-  
of.





*off. Test.* Conf. Oldekop. *Obs. Crim. Tit. 1. Obs. 6.* & Bessel. *Fabr. Fort. p. 57. n. 11. circa fin.* Aliud si Assessores habeat adjunctos Conf. *Ord. Cam. P. 1. Tit. 4. §.* Und aber solches *l. 2. C. de Off. Prat. cum Indigenæ statuta & consuetudines suæ provinciæ melius quam extranei scire præsumuntur c. 7. & 8. X. de Præsumt.*

Idoneus vero ille demum est, qui Summum illud Numen *Declaratio.* cognitum pie pureque veneratur, à quo benedictio & felicitas consiliorum & actionum nostrarum *1. Cor. 3. vers. 67. Rom. 12. Sap. 6. Eccl. 10. Daniel. Cap. 4. 1. Sam. 2. Luc. 2.* Nec tamen solis votis ac supplicibus auxilia DEI parari credat, *Proverb. C. 3. vers. 4.* sed in timore Domini prudenter agendo. Conf. *Lipf. Lib. 1. Pol. 4. Salust. ad Cæs. in Orat. 2. de Rep. Ord. Quod Judicibus quoque à se constitutis imperat Josaphat 2. Paralip. 19. v. 7. Sit timor Domini, inquit, vobiscum, & cum diligentia omnia facite.* h. e. ut declarat Dn. Martini *in Comm. ad Ord. Profess. Sax. Tit. 1. §. 1. n. 57.* talem ostendite diligentiam, quam unusquisque in præsentia & conspectu DEI præstare tenetur, & quam diligens Præfectus præsentem & adspectantem Principe in rebus commissis præbet. Ob negligentiam autem removeantur, quibus quid commissum, quemadmodum punitur carceri præpositus, *l. 8. C. de Custod. Reor. Tutor. l. 3. §. 18. ff. de Suspect. Tut. Judex, l. 3. C. de Off. Præf. Prat. Orient. & similes alii, quorum diligentia præ cæteris conspicua esse debet.* Sic thronus Imperii stabilitur *Proverb. 16. v. 1. junct. 29. 4. & Populus exaltatur Proverb. 14. v. 34.*

XI.

Quoties illa, quæ Reip. sunt, singulis applicanda veniunt, toties obtinet Justitia distributiva conferens rem cum personæ qualitate. 4. §. 7.

Quia tam præmia quam onera, sicut ad communitatem *Ratio.* totam spectant, ita alio respectu ad cives, nisi quatenus partes & membra illius sunt, non pertinent. Prout itaque alius est alio in Rep. major vel minor, ita quoque sub illa conditione & ratione præmia vel onera ferre debet. Conf. *l. ult. C. de Profess. & Med. Dn. Franzk. h. t. n. 27.* C 2 Hinc





*Exempla.*

Hinc toto die videmus Scriptores libris nondum editis privilegia Principum de non recudendis intra certum tempus impetrare vid. Dn. Hahn. *Obs. ad Paratitl. ff. Wesenb. de serv. Export.* Et plura alia exempla legi possunt ap. Dn. Fritsch. *in Comm. ad l. un. C. de Monopol. Cap. 10. n. 84. cum seqq.*

*Declaratio.*

Quæ tamen cum recta ratione & subintellecta exactione communis boni intelligenda. attentis atque expensis circumstantiis omnibus, tam ex parte reliquorum subditorum, quam ex parte Principis atque illius cui vacantia seu alia res Reip. conferenda. Ludov. Molina *Tom. 1. de J. & J. Disp. 12. n. 3. cum seqq. & Tom. 2. Disp. 345. n. 3.*

XII.

Quoties res privatorum privatis applicanda;  
toties obtinet Justitia Commutativa conferens rem cum re.

*Ratio.*

Cum enim Justitia Commutativa debitum alteri tribuat, quod illi proprie & soli, non quat. est pars quædam Communitatis competit, nec ad personam per se & proprie respicitur, sed ad rem solum & patrimonium, cujus intuitu jus hoc, seu debitum absoluta proportione attribuitur. Dn. Franzk. *h. t. n. 28.*

*Exempla.*

Sic secundum eam possessor rei meæ quæ jure domini mihi devincta est, eandem restituere mihi æque tenetur, ac alius qui ex quolibet cunque contractu mihi ad aliquid dandum, vel præstandum obligatus est; illud vel dare, vel præstare tenetur. Nullus enim plane contractus hic eximendus. vid. Dn. Ziegl. *ad Grot. de J. B. & P. Lib. 1. Cap. 1. §. 8. p. 47. cum seqq.*

*Ampliatio*

Adeo ut etiam salarii constitutio secundum eandem sit, facienda: cum non detur civibus, quæ civibus commune, nec distribuatur pro merito locove, quem quisque habet in Rep. nec quantum fieri potest; sed plene quantum opera exigunt. Vir summus Dn. Lynker *Disp. Publ. Quo tend. stud. Jur. n. 21.* Add. Dn. Hahn. *ad Wesenb. Paratitl. h. t. n. 11. verb. Et salaria constituit.*

Nec res pluribus communes in contractibus, ut in Societate, L. Rhodia de Jactu, in Detractione Falcidiæ secundum Justitiam; Distri-





Distributivam præstandæ. Quisq; enim in Societate damnū & Incrum recipit pro sua parte, & sic respectus personarum non habetur: sed præcise & absolute respicitur ad quantitatem fortis, adeo, ut si quis 200. Thlr. contulerit, duplo omnino plus de lucro consequatur; quam qui 100. Thlr. contulit, licet ille fortasse ignobilis, hic autem in summa dignitate constitutus.

Cæterum Commutationes hæ in *Voluntarias* dividuntur. *Declaratio.*  
 secundum Arist. 5. Ethic. 2. ubi principium Commutationis statim ab utraque parte est voluntarium: & in *Invitas* seu *Involuntarias* quarum principium ab initio statim est invitum; vel per Ignorantiam, vel per Violentiam. Ideoq; Commutationes invitæ aliæ sunt *occultæ*, quæ per ignorantiam factæ, ubi desunt vel intellectus vel scientia, aut consultatio, ut furtum adulterium &c. aliæ *manifestæ*, ubi deest appetitus, ut rapina; Commerciorum & *quædam* exinde appellatæ, quod fur pro furto interdum alia quædam restituit, quandoque aut flagellatur aut relegatur: quæ in re esse & datio & acceptio quodammodo videtur; in quibus commercandi ratio consistit: pro furto enim pœnas solvit. Simili modo, qui adulterium commisit, vel pecuniis vel supplicio aliquo mulctatur. Conf. Dn. Hahn. d. l. n. 11. verb. Porro in *Civili*. & *Positio sequens*.

XIII.

Pœnæ commensurandæ sunt delictis, ita ut pœna levis vel gravior sit, prout delictum leve vel grave. *l. 11. de Pœn. l. 22. C. Eod. Auth. omnes C. Comm. de Success. l. i. §. 10. ff. de off. Præf. Urb. l. 31. ff. Ad. L. Cornel. de Fals. c. 5. de Pœn. in 6.* §. 8.

Cum aliàs æqualitas, quam hic absolutam esse oportet. *Ratio.*  
 deprehendi non posset, nisi ad culpam tanquam terminum relationis respiciatur.

Nulla distinctione habitâ (1) An pœna divino, an humano jure dictata (2.) An civiliter, an criminaliter agatur: (3) An de constitutione, an de inflictione pœnarum queratur, per





ea quæ tradunt Autores, qui Aristotelis doctrinam de Moribus interpretati sunt. vid. Arnif. *Doctr. Pol. Lib. 1. Cap. 18.* Hornej. *Moral. Philos. Lib. 3. Cap. 13. n. 2. & seqq.* Quibus accesserunt Jcti Illustris Dn. Struv. *J. R. G. F. h. t. §. 8.* Dn. Hahn. *d. l.* Dn. Franzk. *Eod. n. 34.* Grot. *de J. B. & P. Lib. 2. Cap. 20. §. 2. n. 3.* licet non pauci Dd. proportione geometrica pœnas demum juste imponi posse tradant, cum Wesenb. *Paratitl. ad ff. de J. & J. n. 11.* aliter etiam sentiat Carpz. *Pract. Crim. Lib. 3. Qu. 98.* distinguendo inter delicta certam pœnam lege vel statuto habentia & inter ea, quæ pœnâ arbitrariâ coërcentur. Quem secutus est Dn. Pufendorf. *El. Jur. Univers. Lib. 1. Def. 17. §. 4.* inde Justitiam Vindicativam statuens; ut tamen damni inter privatos reparationem ad Justitiam Commutativam referat *Tr. de J. N. & G. Lib. 8. Cap. 3. §. 5.* Neque moramur. quod praxis in contrarium videatur; ne dicamus ipso Jure Romano judices in servos gravius animadvertere jussos; *l. 1. §. ult. ff. de Pœn. l. 7. §. 3. ff. de Jurisdic. l. ult. ff. de in Jus voc.* honestiores tantum relegari debere, viliores in metallum ablegari; *l. ult. ff. de Sepulchr. Viol. l. 1. §. 3. ff. de Abig.* ex iisdem causis quosdam deportatos, alios, veluti humiliores & servos ultimô suppliciô affectos *l. 3. §. pen. ff. Aff. L. Corn. de Sicar. l. 38. §. 2. ff. de Pœn. l. 16. §. 3. ff. Eod.* cum hæ pœnæ apparenter saltem graviores vel leviores videantur, quantitate autem pares sunt, non diversæ; quatenus fieri potest, ut homo in summa dignitate constitutus tanti faciat, & æstimet remotionem ab officio, quanti alius vix sustigationem æstimaret. Conf. Dn. Hahn. *d. l. ad verb. Pœnas nocentibus & c. circa fin.* & Dn. Franzk. *d. l. n. 34.* ut inde harmoniacam proportionem invenisse videatur Acutissimus Bachov. *in Comment. ad τὰ ἑσώτα ff. de J. & J. n. 3. & 4.* nec non in *Not. ad Wesenb.* de qua Cicero scripsit: quod ea, quæ longissime distant præclare conjungat & constituenda æquitate summa cum infimis pari jure retineat.

*Exempla.*

Hinc Presbyteri falsum testimonium dicentes magis peccant quam Clerici hoc committentes, propter personæ quam sustinent qualitatem, quod illis plus honoris quam his fit delatum



latum majorique talento ad præcavendum delictum instructi præsumantur l. 2. C. de Episc. & Cler. ibique Dn. Brunn. n. 5. & 6. Idem dicendum si quis in eo male versetur, quod Resp. curæ fidei eius concredidit. Unde judex negligens in terminanda causa siquidem sit de majoribus, durius punitur, si de minoribus minus, quia hæc ratione magis vel minus peccavit c. 12. x. de Jurejur. c. 12. dist. 40. Ex qua ratione quoque miles aliquando gravius punitur quam paganus l. 14. de pœn. l. 4. §. 2. ff. de Re Mil. Cujusmodi plura exempla vid. ap. Tiraquell. de Nobilit.

in hoc magis respici habe  
ri ad justitiam legem, ali  
quibus se deinde religio  
ne negligens rem a de  
sibi demandata eade  
pœnâ se iudicand

cap. 20. n. 1180.

Discernendum proinde est inter respectum personarum, *Declaratio* tanquam per se objectum Justitiæ, & inter respectum personarum, tanquam objecti per se accidens aliquod, conditionem, vel circumstantiam: qui omnino Justitiæ Commutativæ competit; utpote quæ cum solum factum respiciat, facti quoque circumstantias non potest non attendere, quatenus ad elevationem vel exaggerationem pœnæ aliquid faciunt; non vero per se persona in considerationem hic venit. Equidem in oneribus publicis quod pauper minus non modo extrinsecus, sed revera præstet, quam is qui eo ditior est, diversitas objecti seu facultatum, quibus onera illa opponuntur, evidenter arguit. Vid. iudicio non minus quam doctrina undiquaque satis Illustris Dn. Lyncker. d. l. n. 29. & n. 33. Dn. Frantz. d. l. Add. Const. Carol. Art. 160. verb. Mehr soll ermessen werden / der Stand und das Wesen der Person / so gestohlen hat / &c. Art. 159. in verb. Oder sonst nach Gelegenheit der Person oder Ermäßigung des Richters in andere Wege gestraffet werden / Art. 167. Der ist nach Gelegenheit der Person und Sachen zu straffen. Quæ verba pluribus aliis locis etiam repetuntur; cum quibus concordat Constit. Elect. Saxon. 23. Part. 4. verb. So sollen sie beyde / &c. & 32. P. 4. §. Und soll in diesen Fall verb. Jedoch soll gleichwohl &c.

Insuper hæc Positio tantum intelligenda de Jure Ordinario, de quo nullus iudex inferior per gratiam dispensandi aliquid jus habet: cum facti quidem quæstio in iudicantium pote-





potestate sit sed juris autoritas minime *l. 15. in fin. pr. ff. ad Municip. l. 1. §. 4. ff. ad Sct. Turpill.* Eatenus scil. ut ad quod delicti genus criminis factum pertineat, ponderet, & deinde pœnam ipsi delicto, ne ullo modo excedat, commensuret; sed lege statutas pœnas temperare nequit *l. 244. ff. de V. S.* adeo, ut si mitiorem lege dictaverit, æque incurrat notam, quam si durior *l. 8. §. 2. C. ad L. Jul. de Vi Publ.* Aliud ergo dicendum, si Princeps Jure Extraordinario gratiam alicui facere velit.

XIV.

§. 9.

Quoties ob circumstantiam qualitas facti alteratur toties mutanda quoque est Juris applicatio.

Ratio.

Quia jus ex facto oritur, facto proinde mutatio ob novam supervenientem circumstantiam ipsa quoque Juris applicatio mutetur necessum est. Certum enim est, quod Jus Commune, & Municipale, & Consuetudo, seu Mos regionis, & conditio personarum, & consideratio rerum, & ratio, quæ movit contrahentes, & locus & tempus aliam atque aliam inducant interpretationem. vid. *l. 6. ff. de Pact. l. 9. ff. de J. & J. l. 2. C. Quæ sit long. consv. §. 9. Inst. de J. N. G. & C. l. ult. in fin. C. de Fidejuss. l. 44. ff. Pro Socio.*

Exempla.

Sic maxime in delictis consideranda Persona, tum ejus, qui deliquit: tum illius in quem delictum commissum vid. *l. 17. §. 3. ff. de Injur. Dn. Ziegler. ad Grot. Lib. 2. cap. 20. n. 33. Add. l. 16. §. 3. ff. de Pœn. l. 28. §. 8. & ult. eod.* (2.) Locus vid. *l. 7. §. 8. l. 9. §. 1. ff. de Injur.* (3.) Tempus Dn. Ziegl. *ad Grot. L. 1. c. 4. §. 7. p. 175.* (4.) Causa, an consulto quis deliquerit, an ex ebrietate immodica Gail. *Lib. 2. Obs. 110. n. 29.* an iracundia, vid. *Recess. Worm. de Anno 1495. sub tit. Die Pœn derer so aus Lize oder Zorn schweren / ferventissimo amoris æstu, arg. l. 4. C. ad L. Jul. de adult. aut alio impetu. vid. l. 11. §. 2. ff. de pœn.* An ultro commissum crimen confessus fuerit vid. *l. un. C. Ne Tut. vel Curat. l. 5. §. 4. ff. de Re Mil. c. 11. pr. c. 12. qu. 1. c. 1. c. 15. qu. 8. & c. 2. x. de Translat. Episc. Landrecht Lib. 2. Art. 14. ibi: Kommt er denn &c. & quidem an antequam reus carceri traditus, an po-*



postea Dn. Carpz. Pr. Crim. Quest. 149. n. 41. § 42. Ipsum denique delictum an dispensabile sit, nec ne; attendendum: nec non eventus prosperus respiciendus. vid. l. 2. §. 7. ff. de O. J. Tiraquell. de Poen. Temp. Caus. 52. n. 1. Prosper Farinac. Oper. Crim. quest. 89. n. 179.

Quod procedit non tantum in Criminalibus, sed etiam <sup>Ampliatio</sup> in Civilibus, ubi pariter præter respectum personarum de quo vid. Diss. de Electione Part. 2. cap. 3. pos. 4. contractus explicandus secundum consuetudinem regionis, in qua negotium gestum est. l. 6. ff. de Eviçt. Quæ vero postea contingunt propter moram, in iis locus inspiciendus, in quo mora commissa. l. 22. vers. Interrogavi ff. de R. C. & omnia suis temporibus debent convenire c. si Ecclesia, 23. qv. 4. & c. cum causam x. de Testib. secundum naturam cujuslibet contractus, seu adjunctam illam qualitatem, ex qua cujuscunq; contractus virtus proficiscitur l. 27. l. 5. §. 4. ff. de Præscr. Verb. §. 2. Inst. Locat. & Conduçt. quamvis expressa non fuerit l. 11. §. 1. ff. de Act. Empt. & l. 3. ff. de R. C. Subintellectâ tamen semper clausula: *Rebus sic stantibus*: cum nova causa novam inducat mentem & priorem disponentis intentionem faciat cessare, adeo, ut contrahente altero etiam invito, recedi possit; l. 54. §. 1. ff. Locat. l. 8. ff. de Condiçt. caus. dat. l. 14. in fin. ff. Pro Socio. l. 38. pr. de Solut. l. 40. §. fin. ff. de Pact. Add. l. 11. §. 8. ff. de Interrog. in Jur. Faciend. l. 5. §. 1. ff. de Pact. l. 14. ff. de Except. Rei jud. l. 31. C. de Transact. verba enim in contractibus ad non cogitata extendi non debent l. 35. de Pact. l. ult. §. 3. ff. de Condiçt. Indeb. l. 21. C. ad SCt. Vellej. & l. 99. ff. de V. O. Cujusmodi Exemplum habetur l. 8. C. de Revoc. Donat. per rationem l. 102. ff. de Condit. & Demonstr. l. 6. §. 1. C. de Instit. & Substit. l. 30. C. de Fideicommiss. Hæc enim nova causa demum est, quæ de novo supervenit, nec initio fuit cogitata l. 4. ff. Ut in possess. Legat. non vero si prævideri potuit; l. 3. §. ult. ff. d. t. t. cum contractus tunc ita potius interpretandi ut valeant, quam ut pereant. l. 80. ff. de V. O. l. 8. & 12. ff. de Reb. Dub. l. 75. ff. de Jud. & l. ult. ff. Ne quid in loc. publ. l. 32. §. 4. ff. de Donat. int. vir. & ux. l. 67. de R. J.

Magna proinde pars Jurisprudentiæ Judiciariæ consistit

D

in

Declaratio





in diligenti lectione Decisionum, ubi circumstantiæ simul expressæ. Patet etiam simul ex hisce, quomodo satisfaciendum objectioni, quod Jurisprudencia nostra non habeat certa principia, scil. secundum commune assertum: Circumstantiam variare jns arg. l. 26. §. 12. ff. de Condict. Indeb. § l. 52. §. 2. ff. ad L. Aquil. Commodius enim omnino dicitur circumstantiam variare factum seu actionem. Quod si actio diversa sit, per consequens diversum jus applicandū, ut sic non jus sed juris applicationem circumstantia variet, cum Jus semper certū sit, modo recte applicetur. Quod ulterius paucis de clarare haut pigebit.

Justum enim statuitur aliquando *recta via*, ex communi & ordinaria ratione; l. 3. § 5. ff. de LL. l. 16. de Minor. verb. communi auxilio, unde Jus dicitur Regulare & Ordinarium l. 9. ff. de Pet. Hered. Nonnunquam extra ordinem, *oblique*, per circuitiones, & anfractus, sine certa & ordinaria ratione quid pro justo habetur, vel ob rei magnitudinem, l. 1. §. 1. 2. 3. 4. 5. § t. t. de Extraord. Cognit. propter rei exiguitatem, l. 4. ff. de in integr. rest. l. 54. ff. de Jud. l. fin. C. de Ord. Jud. l. 9. l. 10. ff. de Dol. Mal. l. 17. §. 2. de Inst. Act. l. 8. ff. Depos. l. 29. C. ad L. Jul. de adult. l. 21. in fin. C. de Heret. §. fin. Inst. ad L. Aquil. §. 4. Inst. de Off. Jud. l. 17. l. 25. C. de Usur. vel ob rei qualitatem, ubi est indifferens, obscura, & intricata, dubia & anceps, festinatione indigens arg. l. 3. de F. & F. §. 2. Inst. L. Aquil. l. 45. §. 1. ff. eod. P. S. O. Art. 139. cum seqq. 6. 18. X. de Homicid. l. 9. §. 22. 23. 27. § t. t. ff. de Reb. Dub. l. 3. §. fin. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. 9. eod. l. 2. C. de Desert. l. 2. C. Quand. lic. u. nic. fin. jud. R. A. zu Augspurg de Anno 1509. von den Digenen hennl. fin. C. de Malef. & Mathem. l. un. C. de Rapt. Virgin. l. 1. §. 27. § 28. ff. de Vi & Vi arm. l. 1. C. Unde Vi. l. 7. §. 3. ff. Quod Vi anti clam. l. 20. l. 21. § 22. ff. ad L. Jul. de Adult. Nov. 117. cap. 15. Auth. Si quis C. eod. l. fin. C. An serv. pro suo fact. l. 6. §. 3. de SCt. Syll. l. un. C. de Emend. Serv. § l. 1. Quod quis jur. in alt. stat. Interdum vero ex singulari ratione contra communem tenorem aliquid justum est l. 14. 15. 16. de LL. exemplo §. 6. Inst. de F. N. G. & C. l. 1. pr. & seqq. l. 2. l. 3. de Const. Princ. l. 179. l. 191. § 196. de R. F. t. t. ff. & C. de Castrens. Pecul. t. t. de Testam. Mil. l. fin. C. de Testam. l. 31. ff. de



ff. de Poen. & similium. Indeque Justi & Injusti principia recte dixeris, vel Ordinaria esse, vel Extraordinaria, vel Singularia.

Sed Ordinaria iterum vel Remota & Communia sunt, ut Conclusiones ex Metaphysica, Physica, Mathematica, Logica, Historia, Philologia, Medicina: l. 7. §. 3. ff. de A. R. D. §. 22. Inst. de R. D. l. 10. & 12. ff. de Stat. Hom. t. t. de Ventr. inspic. P. 2. O. art. 147. & c. (quæ propria & Juridica fiunt per applicationem) vel Propinqua & Propria sunt. Hæcque vel Interna, quæ in re ipsa sunt, seu rebus ipsis inhærent, ut Naturalia, (seu Natura ipsa insita) Gentium & Civilia t. t. de J. N. G. & C. l. 1. ff. de pact. l. 70. 74. & 75. de R. J. l. 5. 6. 7. 8. & 9. h. t. vel Externa, seu foris adducta l. 37. & l. 38. ff. de LL. Quo etiam spectant Scripturæ; testes & similia, per quæ fiunt probationes; t. t. de Fid. instr. & t. t. de Test. vel Media, circumstantiis moralibus constantia, quarum septem recensentur l. 28. ff. de poen. ad quas reliquæ facile revocantur.

Præterea, quoniam officium Jcti in eo consistit, ut secundum Positionem nostram circumstantias facti probe examinet, atque pro varietate earum juxta mentem Illustris Dn. Autoris leges eidem applicet, atque hæc ratione in homines & Remp. Justitiam inducat; Naturalia Justi & Injusti principia Jctis illa maxime sunt, quæ à Reip. Legis, & Justitie natura & conditione proficiscuntur.

A natura Reip. deducta, sumuntur (I.) A DEO, Divina: cum ab hoc promaneat Resp. & ad hujus similitudinem homo, qui est in Rep., sit conditus: unde & omnia principia inferiora fluunt exindeque Lex dicitur DEI inventum & munus, Demostheni l. 2. ff. de LL. (II.) Ex Mundo, Physica exemplo §. 1. 3. 12. pr. §. 14. 15. 18. 20. 22. 23. 24. 25. & seqq. usque ad §. 34. de R. D. l. 35. de R. J. l. 6. §. 2. ff. de Jur. Patron. l. 40. ff. de Her. Inst. l. 52. C. de Episc. & Cler. l. 3. ff. de Tut. l. 23. ff. de Lib. & Posthum. Hered. Inst. l. 31. de R. J. l. 100. l. 135. 155. 178. 182. 185. 186. §. 1. l. 208. 209. eod. c. 42. in 6. d. 1. l. 1. ff. Qui pot. in pign. (III.) Ab Homine, Humana; quoad partes ejus, potentias, passiones & habitus. Quo spectant præcipue principia actionum humanarum, accuratissime à Jctis considerata in l. 3. 4. 5. 19. 23. 36. 40. 42. pr. l. 47. l. 48.





l. 50. l. 53. 54. 60. 63. 69. 76. 79. 82. 100. §. 2. l. 111. 116. 124. 129. 131. 132.  
 134. 142. 145. 156. pr. & §. fin. l. 157. 158. 160. 163. 165. 167. pr. & §. 1. l.  
 169. 173. §. 2. & 3. l. 177. §. 1. l. 184. l. 189. l. 195. 198. l. 199. l. 203. de R. J.  
 l. 6. C. Si quis alt. vel sib. sub alt. nom. (IV.) Ex Familia & Societa-  
 tibus Civil. Imperfectis, Oeconomica, spectantia tum ad sobolem  
 procreandam, tuendamque, tum in communem opem & con-  
 victum t. t. ff. de his qui sunt sui vel al. jur. t. t. de Patr. Potest. t. t. de  
 Nupt. t. t. de Hered. Inst. (V.) Ex ipsa Rep. denique surgunt  
 Principia Politica, tam ratione constitutionis, quam Partium, Impe-  
 rantium, Parentium, & Mediorum, ut Magistratum, Judi-  
 cum, Militum tit. de Senat. & seqq. tit. de Jurisdic. §. ult. Inst. de  
 J. N. G. & C. tit. C. de Summ. Trin. & seqq. l. 10. 11. 12. l. 7. §. 1. l. 8.  
 ff. h. t. junct. tit. de Re Milit. & Finium, Indigentiam supplendi,  
 tranquille & juste vivendi &c.

A Lege descendunt, quæ vel à Definitione vel Divisionibus su-  
 muntur, vel à Partibus v. g. Procæmio, Constitutione, Sanctio-  
 ne, uti ex Legibus nonnullis Codicis & Novellis apparet; vel à  
 Virtutibus, quæ sunt jubere, vetare, permittere l. 7. ff. de LL. aut  
 à Formis petuntur, ubi vel constituitur, aut confirmatur, tit. de  
 Confirm. Digest. tollitur, tit. de L. Fus. Canim. toll. mutatur: tit. de Usu-  
 ap. transf. vel directe, rectâ via, verbis: Jubemus, Sancimus  
 tit. C. passim. vel indirecte judicium dando, exceptionem, re-  
 plicationem, duplicationum, actionem utilem, subsidiariam,  
 vid. tit. de Except. tit. de Replic. l. 156. §. 1. de R. J. §. fin. Inst. de L.  
 Aquil. per Magistratum, qui lex loquens, tit. de in Integr. rest. l. 7.  
 §. 1. l. 8. h. t. per Legis fictionem §. 5. Quib. mod. patr. pot. solv. pr.  
 Inst. de Excus. Tut. §. 4. l. de Act. l. 4. §. fin. de Fidejuss. Tut. §. 4. de  
 Tut. l. 5. ff. de Adopt. §. 5. de Act. l. fin. §. ult. C. de Pet. Hered. l. 1. §.  
 12. de vi & vi arm. l. 1. C. de donat. §. fin. de Nupt.

Quò etiam gradus legum dispositionis spectare videntur.  
 Cum vel non contradicitur, quod in quibusdâ pro jussione est,  
 aut non probatur, quod loco prohibitionis l. 11. C. de R. C. vel,  
 cum assensus expressim adhibetur, vel denegatur: vel cum ul-  
 tra assensionem aut dissensionem jussio insuper vel inhibitio  
 vel permissio accedit. Quæ contingunt (1.) ubi quid potius dis-

dis.





diffvadetur, uti pater non prohibetur quidem absolute filii  
 sponfam ducere. sed recte tamen facturus est, si à nuptiis ejus  
 modi abstinuerit §. 10. *Inst. de Nupt.* (2) cum simpliciter & abso-  
 lute quid præcipitur vel vetatur; ut, hoc facito, illud omittito:  
 exemplo Decalogi & LL. XII. Tab. §. 1. *Inst. verb. Abstinendū est de*  
*nuptiis.* (3) Si gravius interminatur, E. gr. Edico, ut facias, ne fa-  
 cias; *d. Decal.* Quantum vero permissionem attinet, ejus *summus*  
 gradus est, cum expresse simpliciter & absolute aliquid permit-  
 titur, quod in iis accidit, in quibus nihil mali arg. *l. 5. ff. de Test.*  
*& qui test. fac. poss. Medius* videtur, cum non absolute quid per-  
 mittitur, sed tantum dicitur: non vetari; vel permittitur;  
 addita adhortatione in contrarium *d. l. 20.* quod in iis locum  
 habet, quæ per se quidem mala non sunt, sed aliquid ta-  
 men mali secum trahunt, sic ut per indulgentiam in iis pro-  
 cedatur *l. 26. C. de Usur. l. 10. §. 4. ff. de Minor l. 1. C. de J. & F. §.*  
*verb. permitto tibi. Infimus* demum gradus habetur, cum quid  
 non tam permittitur, quam conniventibus oculis tacitè dissi-  
 mulatur, aut toleratur: quod in iis locum habet, quæ quidem  
 per se mala, aut certe non bona, hominum ob imbecillitatem,  
 majoris mali vitandi causa nonnunquam ferre oportet, ut Ro-  
 manis fuit concubinatus *tit. de Concub. denegatio actionis ex*  
*pacto nudo l. 7. §. 4. ff. de pact.* Denique principia à *Justitia*,  
 deducta, vel sunt ipsius *Justitia*, aut *Injustitia*, vel *Mediorum in-*  
*ter utramque.* Quæ *primi generis* sunt, proficiscuntur simili fere  
 modo, ut de Legibus dictum, vel ab ejus *Definitione* *pr. h. t.*  
*vel Divisionibus*, vel *gradibus*, quod quis vel ex se & amore bo-  
 ni juste agat, vel metu pœnæ aut spe præmii *l. 1. §. 1. h. t. vel*  
*ratione Formarum*, *Justitiæ rectæ*, *restrictæ*, *temperatæ*, *l. 8. C.*  
*Eod. l. 12. Qui & a quib. manum. l. 11. ff. de Pœn. l. 168. pr. & §. 1. l.*  
*183. l. 192. §. 1. de R. J. vel denique à vi & effectu*, & deinceps. *Sec-*  
*undi generis*, ab *injustitia* scil. petita argumenta varia damnorū  
 genera continent, quæ tam in delictis quam in contractibus  
 corriguntur & coercentur *Libr. 47. & 48. ff. Libr. 9. C. & multis a-*  
*liis* quibus de contractibus agitur *l. 23. de R. J. l. 5. ff. Commod.*  
 Quo spectat *injustum* naturaliter & civiliter *l. Proverbium de*  
*V. S. Tertii generis*, *mediorum justii & injustii* sex fere principia  
 sunt:



sunt: (1) Favor, (qui à bono existit l. 19. ff. de Lib. & Posth. Hered. Inst. l. 25. de LL. l. un. C. de Off. Com. sacr. largit. l. 125. de R. J. l. 32. de Poen. l. 47. de O. & A. c. 6. de Donat. int. vir. & ux. (2) Odium (quod à malo) c. Odium de R. J. in 6. c. 22. de Elect. in 6. l. 19. ff. de Lib. & Posth. Hered. Inst. (3) Necessarium, aut Non necessarium 4. Metaphys. 5. l. 22. ff. de his quib. ut indign. l. 162. de R. J. arg. l. 29. C. de Jur. Dot. c. 4. de R. J. in 6. l. 7. §. 1. Qui satisd. cog. (4) Utile & inutile l. 17. de Aqu. Quot. & Æst. §. 3. de Usufr. §. 9. de inutil. Stipul. §. 1. de Obl. que ex quasicontr. l. un. §. 14. de Caduc. toll. l. fin. Comm. de Leg. (5) Honestum & Inhonestum seu Absurdum, Inhumanum, contra bonos mores. l. 2. C. de Resc. Vend. l. 15. de Condit. Inst. l. 144. l. 197. de R. J. §. 10. & seqq. de Nupt. §. 1. vers. Idq. utilitatis de Obl. que ex quasicontr. l. 21. in fin. C. de Hered. (6) Indifferens, scil. simpliciter tale, ut perinde sit, quid statuatur, quodque tale & quoad substantiam & modum arg. l. ult. C. de D. M. C. l. fin. C. de Codicill. l. 21. C. de Testam. junct. l. 11. de Test. l. 20. de LL.

Quibus ita quam brevissime demonstratis seu delineatis potius; fateri omnino necesse est, ut quæ Prudentiæ Moralis & Civilis, eadem & nostræ sit certitudo. Quamvis autem non Mathematica illa sit, nihilominus tamen ea recte sese habere, facile constat; si attendatur juxta principia primæ Philosophiæ quædam necessaria esse absolute, nonnulla ex hypothesi Arist. de Part. Animal. Lib. 1. Cap. 1. ubi dicit necessitatem rebus æternis in esse simplici absoluteque ratione, caducis autem gignendisque omnibus tribui ex suppositione: utrarumque, vero, (& quæ simpliciter, & quæ ex hypothesi necessaria) scientia cum sit atque demonstratio: non potest non rectitudo esse & certitudo 11. Metaphys. 7. Quamvis autem actiones seu negotia hominum posterioris quidem sint generis, & iisdem tamen sua quoque est necessitas prout maxime secundum omnes species causarum, nec non effectus atque circumstantias considerantur, vel secundum principia rationis; vel ut ordinaria, aut singulari ratione in iis quid justum esse potest, nec non ratione naturæ & conditionis Legum Reip. atq; Justitiæ, prout in modo dictis demonstrare conati sumus. Ne-



Neque officit, quod actiones ita sint contingentes, ut in nostra potestate sit eas exercere vel non, adeoque prorsus & ab omni parte videantur arbitrariæ; quæ æque se habeant in utramque partem contradictionis. Verum hoc enim demum est (1.) Si non ut exercitæ considerantur, unde in *l. 6. C. de O. & A.* recte dicitur, contractus initio sunt voluntatis, ex postfacto necessitatis. Præterea (2.) etiam ut sunt in fieri humanæ actiones, Jctis tamen non simpliciter arbitrariæ habentur, sed tantum secundum quid; quia juxta legem, quæ regula est, dirigendæ sunt, ut juste exerceantur; perficiantur *l. 1. & 2. ff. de LL.* Indeque Jctus non modo scire & judicare potest an actio jam exercita, juste vel injuste se habeat, & si hoc, quomodo corrigenda: verum etiam quomodo illa juste sit instituenda, exercenda: quia lex dux est, regula, (justorum & injustorum) perceptrix, (faciendorum) & prohibetrix. (non faciendorum) *de l. 2. ff. de LL.*

XV.

Quoties de animo constat, toties ad circumstantias non respiciendum.

Intentio enim, mens & voluntas format, & distingvit omnes actus hominum, in rebus autem certis non opus est conjecturis *l. 137. §. 2. ff. de V. O.* Ratio.

Non magis in delictis, quam testamentis, judiciis & Contractibus: cum & hic rei veritas magis quam scriptura attendenda; *l. 1. & 3. ff. de C. Plus val. quod agit.* & secundum Justinianum potius voluntates contrahentium, quam verborum conceptiones inspiciendæ. *l. ult. C. quæ res pign. obl. poss. l. 219. ff. de V. S. l. 3. §. fin. & l. 21. ff. Comm. Divid.* A perspicua enim voluntate contrahentium recedendum non est *l. pen. in fin. C. Pro Socio.* Implicatio

Et quidem tam in b. f. quam stricti juris contractibus, non obstante *l. 99. ff. de V. O.* utpote cui demum locus erit, quando nec ex verbis neque ex qualitate negotii, de quo agitur neque ex contrahentium affectione, moreve hominum in Exemplis

ejus





ejusmodi negotio solito verisimiliter colligi potest quid actum sit vid. Dn. Richt. *Velit. Acad. 1. th. 12.*

*Exempla.*

Sic, si quis alteri mortem minatus fuerit; tunc licet pugno eundem forte occiderit, tamen capite puniendus. Aliud si de animo non constet, ut, si antea nullæ minæ, inimicitia seu propositum præcesserit; sed ex accidenti in rixas & verbera inciderint, cum alapa regulariter mortem non inferat.

De contractibus exempli loco evolvatur *l. 41. ff. de V. O.*

*Declaratio.*

Eventus tamen omnino maxime attendendus, quoad pœnæ inflictionem in delictis voluntariis: Ut, si quis vitæ alterius insidias struxerit, gravique vulnere eundem affecerit, Medicorum tamen ope, & Divini Numinis gratia convaluerit; aut si cogitet aliquis se adulterium committere, cum tamen non committat, quia ipsa uxor marito ignorantia sub meretricis persona semet supposuit, vel adultera putans maritum adhuc in vivis esse, juveni se prostituit, cum tamen mortuus sit, ob eventum feliciorum mitius puniatur. *arg. l. 2. §. 7. ff. de O. F.*

Quod si autem eventus infeliciores fuerit in delicto aliquo voluntario, magis exitus quam voluntas & animus respicitur. Ut hinc, si quis in re illicita versatus animo saltim cogitavit se vulnerare velle, & præter intentionem occidit, à pœna homicidii non liberetur Dn. Carpz. *Pract. Crim. quest. 1. n. 28.* Recepta enim hic Dd. opinio est: quod dans operam rei illicitæ, teneatur de omni eo quod etiam præter illius intentionem, & animus satis manifestum, ex facto voluto per se (non per accidens) sequi poterat, cum hic perinde sit cogitare, & cogitare debere; quia vulnera ad mensuram non possunt infligi. Conf. Magnif. Dn. Stryk. *de J. S. Disp. 10. cap. 6. n. 41. cum seqq.*

XVI.

*§. 10.*

Qui patitur patrari delictum, quod poterat & debebat prohibere, ille tenetur.

*Ratio.*

Quia patientia hic habetur quasi pro consensu, vi cujus consensus cooperari videtur in ipsum actum vid. Dd. *ad l. 60. ff. de R. J. l. 50. ff. eod.* & expressis verbis fundatur in *l. 45. pr. ff. ad L.*



L. Aquil. Unde recte dicit Cicero Lib. 1. Off. Duo Injustitiæ esse genera, unum eorum, qui inferunt, alterum eorum qui ab iis, quibus inferuntur si possint, injuriam non propulsant.

Cui patrocinator l. 3. §. 22. ff. de Re Mil. ubi Modestinus *Exempla.* respondet, eos qui Præpositum suum protegere noluerunt, vel deseruerunt, eò occisò, capite puniendos esse. Add. l. 6. §. pen. ff. eod. Aliud exemplum refert Dn. Mev. P. 7. D. 228. Et Dn. Brunn. cent. 1. Dec. 42. testatur; Magnif. Facult. Jur. Francofurt. condemnasse aliquando Patrem ad restitutionem damni, quod ortum erat à filio sclopeti explosione, cum Pater sciverat, nec prohibuerat.

Quæ in tantum procedunt; ut, si filius patrem gravi qua- *Ampliatia* dam injuria affecisset, quam tamen simularet Pater, mortuo patre fiscus, etiam adhuc hodie (cum Nov. 134. cap. ult. tantum de criminibus quæ pœna capitalis sequitur, loquatur vid. Coll. Argent. Lib. 48. tit. 9. th. 6.) sibi ejus portionem vindicaret, ceu indigni arg. l. 9. §. fin. ff. de His quæ ut indign. exclusis fratribus & sororibus à Jure accrescendi l. 2. C. eod. l. 29. ff. de Jur. Fisc. l. 8. §. 14. ff. de Inoff. Testam. Dn. Mev. P. 5. D. 152. n. 2. & 153. per rationem l. 1. §. 2. ff. de Obs. Parent. Deb. Aliud in legato, quod ob gravem injuriam tacite revocatum censetur; arg. l. 9. §. 11. ff. de His quæ ut indign. adeoque remanet in hereditate. Dn. Brunn. in Comm. ad d. l. 9. n. 1.

Quamvis autem communiter Dd. hæc duo ut possit & *Declaratio* debeat prohibere conjunctim requirant, adeoque supponant, non quemlibet obligatum esse, alterum prohibita suscipientem à proposito dehortari; magis tamen ob naturalem illam cognationem l. 3. ff. de J. & J. quilibet alterum beneficio afficere debere constat ex l. 7. ff. de serv. export. adeoque etiam erranti succurrere & per hoc salutem publicam promovere Conf. c. de liçto de Sent. Excomm. in 6. l. 2. & 3. ff. de Lib. Caus. l. 1. §. 4. ad L. Cornel. de Sicar. l. 3. §. Cum igitur ff. de vi & vi arm. l. 7. ff. de Furt. Non obstante arg. l. 9. §. 1. in fin. ff. Quod Met. Caus. Quæ vel de certo casu, ut vasallorum intelligenda: aut dicendum; Multa, honestè accipi, quæ inhonestè petuntur. l. 1. §. 5.

E in fin.





*in fin. ff. de Extraord. Cogn. l. 25. §. 1. ff. Quand. dies legat. ced.*

XVII.

Quoties factum aliquod hominis, quod causare casum fortuitum poterat, ejusmodi casum præcedit, toties non amplius est casus fortuitus.

*Ratio.*

Quia eatenus poterat res prævideri & averti *l. 5. §. 7. ff. Commod. Casus vero fortuitus consilio humano prævideri per l. 2. §. 7. ff. de Adm. rer. ad Civit. pert. l. 6. C. de pign. act. vel averti l. 15. §. 2. ff. Locat. nequit, & hinc nemini imputandus, sed mirabile DEI O. M. judicium, tanquam invitatio ad pœnitentiam patienti animo ferendum.*

*Limitatio.*

Quæ positio procedit, si culpa præcesserit à patiente, secus, si à tertio contingat; sic enim ratione mei factum est casuale.

*Exempla.*

Hinc si in vicinia incendium fuerit subortum, cui tamen vicinus resistere potuisset in suis ædibus; si hoc non fecit; ratione hujus suæ culpæ utique est obligatus ad damnum reparandum: cum in eodem crimine sit, qui non observavit ne ignis longius progredetur per text. *l. 30. §. 3. ff. ad L. Aquil. Quilibet enim, rerum suarum quidem est moderator & arbiter, l. 21. C. de Mandat. sed non in publicum & privatum præjudicium arg. l. 13. §. 1. ff. de damn. infect.*

*Declaratio*

Ratione autem reliquarum ædium quæ ab incendio in vicinia orto simul consumptæ, vicini hoc modo damnum passi, minime ex Locato, aliove contractu quo culpa præstanda conveniri poterunt, si omni adhibitâ diligentia incendium arceri non potuerit. Menoch. *Lib. 2. A. J. Q. Cas. 390. n. 2.* Nec quævis culpa præcedens minus casuale vel culposum delictum facit; sed ea demum, quæ ad casum directa, & erga hominem, in societate civili viventem consideratur vid. *l. 25. §. 4. ff. Locat. non in respectu ad DEUM.* Sic enim omnia infortunia, delictorum in DEUM commissorum regulariter pœnæ esse solent. Nisi tamen casus sit exorbitans, quando, dum flagrantibus crimi-

crimi-





criminibus deprehenduntur inhabitantes, miraculosè ædes fulgore incenduntur: cum sic omnino & hic culpa ad casum sit ordinata vid. Magnif. Dn. Stryk. *Vol. 1. Disp. 7. Pos. 4. n. 6. & 10.*

DISSERTATIONIS  
De  
NATURA & CONSTITUTIONE JURIS

OCCASIONE RELECTIONIS  
ILLVSTRIS

DOMINI STRUVII  
*Jurispr. Rom. Germ. Forens.*

*Libri 1. Tit. 11.*

POSITIO I.

**L**Eges ad Genium Populi, & Regni necessario §. 1.  
accommodandæ *arg. l. 9. ff. de N. G. & l. 72.*  
*ff. de Jud.*

Quia debent esse norma secundum quam actionum bonitas & malitia, æquitas & iniquitas æstimatur. Illustris Dn. Struve *h. §. 1.* *Ratio.*

Adeo, ut præcepta Justitiæ universalis ulterius non sint attendenda, quam in quantum hoc salus publica admittit. *Amplatio.*  
vid. Bœcler. *in Comm. ad Grot. de J. B. & P. lib. 1. cap. 1. p. 145.*

Hinc si libertas divortiorum Judæis concessa, Justitiæ universalis conveniens fuisset, Christus hæc adeo non improbasset, & dixisset: tantum ob *σκληροκαρδιαν* Judæorum hæc habuisse locum. Ergo indulgebat aliquid DEUS quod Justitiæ Universalis adeo exacte conveniens non erat: tantum; ut ob depravatos Judæorum mores eos facilius sub officio contineret. *Exempla.*  
Magnif. Dn. Stryk. *Not. ad pr. Inst. de J. & J. p. 9.* Sic olim





furta Lacedæmoniorum Plut. in *Lycurg.* p. 47. & Ægyptiorum  
Diod. Sicul. lib. 1. cap. 3. f. 36. erant impunita.

Neque alii hodie fere mores sunt Tartarorum, de quibus  
è Bar. Herbersteinii Commentariis Rer. Moscov. referunt En-  
enkel. ad *Thucyd.* p. 486. Bernegg. ad *Tacit. de Mor. Germ.* qu. 75.  
quod quisque re aliqua indigens eam ab altero impune rapere  
possit; Si quis autem apud Judicem de vi, illata injuria quæra-  
tur, reus non neget, sed eare se carere non potuisse, dicat.  
Tum judicem talem proferre sententiam solere: Si tu vicissim  
re aliqua egueris, rape ab aliis.

Planè uti ob maximam in Venerem proclivitatem non  
minus ut olim tempore Plauti (*Trucul. Act. 1. Scen. 1.*) & Ulpia-  
ni (vid. l. 27. §. 1. ff. de *Pet. Hered.*) meretricibus abundat Italia,  
vel etiam Hispania, præsertim quoad Lusitaniam, ubi ferme  
pro monstro habetur sponfus, ut ex Bocerii *Relation. & Clenand.*  
*Epist.* notat Lans. *Orat. contra Hispan.* p. 413. & novissime Joh.  
Mak. in *der Reisebeschreibung nach Spanien* cap. 9. p. 49.

*Declaratio.*

Non tamen ex ejusmodi permissione jus alicui concedi-  
tur supra deprædationes, furta, licite omnino exercendi, nec  
efficitur ut v. gr. scortatio non sit contra Justitiam Univer-  
salem & Jus Naturæ, aut extra pœnæ divinitus imminentis me-  
tum; sed infimi gradus est permissio, & dum innuit toleran-  
tiam, vel conniventiam Legislatoris ob salutem Reip. subsistit  
quidem; vid. Grot. de *J. B. & P. L. 1. c. 1. §. 17. & L. 3. cap. 4. §. 2.*  
Add. Clapmar. de *Arcan. Rerump.* lib. 4. cap. 19. ita tamen ut quo-  
vis modo limitetur, restringatur & impediatur. Hinc, cum  
etiam Germani Primi à propria vindicta difficulter se tempe-  
rarent, & mirarentur plane, apud Vellej. *Paterculum* Lib. 2.  
cum Romanæ Jurisdictionis formam conspicerent, quod in-  
jurias finiret Justitia, & solita armis discerni terminarentur Ju-  
re; postea Theudericus Rex oratione Gothos suos ab iisdem  
moribus revocabat. Dum inquit ap. Cassiodor. *Lib. 3. cap. 23.*  
*Remove consuetudines abominanter inolitas, verbis ibi potius, non armis*  
*res tractetur: Quid opus est homini lingua si causam manus agit arma-*  
*ta.* Hinc etiam infamia notatæ fuerunt meretrices l. 3. pr. ff.  
Si à par.



Si à par. quis manum. l. 4. ff. de Condict. ob turp. caus. ob quam à testimonio dicendo plane repelluntur Prosp. Farinac. Pr. Crim. Lib. 1. tit. 5. qu. 43. n. 80. cum seqq.

II.

Quicquid ad Administrationem & conservationem seu subsistentiam Reip. spectat; illud est Juris publici: vid. Magnif. Dn. Stryk. Annot. ad §. ult. Instit. de J. & J. Quæcunque vero eò non spectant, illa sunt Juris Privati. Add. Dn. Hahn. ad Wesemb. de J. & J. verb. Non respectu forma & seqq.

S. 21

Ratio hujus desumenda est à Fine; quæ nimirum Jus nostrum intendit procurare utilitatem publicam & privatam.

Ratio.

Ita Jus Belli & Pacis, Cura Itinerum, murorumque exitu. Etio Nov. 17. cap. 4. pertinent ad Jus Publ. Add. l. 15. cum seq. ff. de V. S. contra Emptio & Venditio, Constitutio Dotis, Usucapio, sunt Juris Privati, licet Juris Publici dicantur l. 1. ff. Solut. Matrim. l. 1. ff. de Usucap. ut publica nuptiarum utilitas dicitur l. 12. & 13. ff. de Capt. & Postlim. Revers.

Exemplis.

Modo proinde Jus quod Publicum dici debet primario spectet administrationem Reip. quamvis per consequentiam privatorum quoque utilitas respiciatur. Nam recte dicit Levinus Consul apud Livium Lib. 26. in fin. Ita comparatum est cum civitate, ut publica perdendo tua nequaquam serves. Add. Arnif. de Rep. Lib. 2. Cap. 1. Sect. 3. n. 26. Hinc publicæ utilitati privatum commodum cedere omnes consentunt vid. Grot. de J. B. & P. Lib. 3. cap. 20. n. 7. l. 3. C. de Principil. l. un. §. 14. C. de Caduc. Toll. Et ob hanc utilitatem à regulis Juris communis receditur. Multaque permittuntur, quæ aliàs sunt interdicta & prohibita l. 51. §. 2. vers. Multa ff. Ad L. Aquil. c. Abbate §. fin. vers. Presertim de Sent. & Re Jud. in 6. & l. 3. ff. de off. Pres.

Limitatio.

Cum autem unaquævis fere Resp. specialem & singularem administrandi rationem habeat, Rationem Status aliis dictam; & ingenere veteribus Magistratibus abrogatis & substitu-

Declaratio.





stitutis novis mutatâ hodie sit forma Reip. illa quæ in Jure Civili sparsim habentur de Jure Publico, præsertim in tribus posterioribus libris Codicis exiguam habent utilitatem: adeo; ut neque officia Præsidum Præfectorum Prætorio &c. ad Principes Imperii applicari queant, per ea quæ tradit Magnif. D. Stryk. ad. §. 4. Inst. de J. & J.

Cæterum quando in Jure mentio fit Juris Publici intelligitur Jus XII. Tab. vid. l. 3. ff. qui testam. fac. pess. l. 33. ff. de Pact. & per extensionem ad omne Jus publice promulgatum pertinet. l. 29 ff. de Test. Tut. Unus saltem in Jure locus est ubi Jus Publicum genuina gaudet significatione scil. in l. 1 §. 2. ff. de J. & J. & inde desumpto §. 4. Inst. Eod.

III.

§. 3.

Quodcunque recta ratio ita faciendum inculcat, ut actum contrarium moraliter turpem æstimet, illud est Juris Naturæ.

Ratio.

Etenim Jus Naturale versatur circa actus naturâ suâ intrinsicè & antecedenter bonos vel malos, quique à DEO necessario præcepti aut vetiti intelliguntur, adeoque etiam non tantum ratione principii & fundamenti sui quat. fundatur in Justitia & sanctitate DEI, sed etiam ratione hujus objecti maxime obligat. Hinc definitur Jus Naturale à Grotio per dictatum rectæ rationis, indicans actui alicui ex ejus convenientia & disconvenientia cum ipsa natura rationali inesse moralem turpitudinem aut necessitatem moralem, ac consequenter ab Autore Naturæ DEO talem actum aut vetari aut præcipi. de J. B. & P. Lib. 1. cap. 1. §. 10. n. 1.

Ampliatio.

Licet non informetur Jure scripto: cum per lapsum Adami non omnimodâ, sed saltem perfectâ omnium cognitione atque observationis habitu homo sit privatus.

Declaratio

Quamvis autem Dominus Pufendorfius in descriptione Juris Naturæ, ex qua nostra Positio desumpta, loco dictaminis rectæ rationis, substituendam censeat Socialitatem; adeoque illud Jure Naturæ præceptum esse dicat & prohibitum, quid con-



convenit aut disconvenit vitæ Sociali: de *J. N. & G. Lib. 2. cap. 3. §. 4. & seqq.* facile tamen cum Illustri Dn. Struv. *h. §. 3. & aliis* qui Grotium secuti conciliari potest; si attendatur: Esse aliquid intrinsecè bonum vel malum *proxime* quidem demonstrari posse ex convenientia & disconvenientia cum natura vitæ socialis ad quam omnis homo aptus conditus & natus est; *ultimato* autem ex convenientia & disconvenientia cum Justitia & Sanctitate Divina: uti enim DEUS naturâ suâ bonus & justus est; ita non potest non bonum & justum esse quod cum ejus natura & justitia congruit. Cumque idem DEUS autor existat vitæ socialis; necessario sequitur, eandem non repugnare, sed respondere ejus naturæ, sanctitati & Justitiæ, & porro quicquid vitæ sociali non repugnat, nec naturæ & justitiæ divinæ contrarium esse. Constat autem dictamen rectæ rationis fundari in principiis istis generalibus rationi nostræ, quæ in homine non sublata fuit, licet qualitas ejus immutata naturaliter infitis, quæ propterea quoque nihil aliud sunt, quam rudera amissæ imaginis divinæ, seu, Justitiæ & Sanctitatis DEI ad quam homo ab initio conditus erat, à Jure Divino revelato, quo dictamen illud rectæ rationis reddatur eò certius magis atque magis informanda. Quod neutiquam latuit Regem Prophetam, cum precaretur DEUM eum in modum: *Doce me rectam rationem & scientiam Ps. 119. vers. 66. Bonus es, & beneficus: doce me Jura Tua Ps. Eod. vers. 68.* Et hoc est, de quo DEUS protestatur, se ita non fecisse ulli Genti, quam Populo suo, cui Jura sua restituit.

IV.

In bruta Jus Naturæ non cadere, certum est.

§. 4.

Quippe cum Jus in eum cadere, absquo ratio exulat, intelligi nequeat: jam autem in bruta non cadere dictamen rectæ rationis, indicium est, quod nunquam supra se reflectunt, i. e. non agnoscunt se id esse quod sunt, neque res cognoscunt in sua natura, sed eas apprehendunt quidem, at tantum sub ratione boni privati vid. prolixius de hac materia differens Excellen-

Ratio.





cellentiff. D. Becman. in *Med. Polit. Diss. 4. 8. cum seq. & in Doctrin. Moral. cap. 3. 0. 2.*

*Ampliatio.*

Et quanquam complures dentur actus hominum atque brutorum inter sese similes, seu communes; *princ. Inst. de J. N. G. & C.* eosdem videantur distingvere bruta, & quandoque si mali fuerint propter eos puniantur *Gen. 9. v. 5. Levit. 18. v. 23 & XX. vers. 15. cum seq.* Revera tamen inter istos actus magnum est discrimen: communes enim non sunt moraliter, sed physicè tantum & naturaliter, quod ex simplici generis sive naturæ sensitivæ, inclinatione ut sic, apud bruta iidem proveniunt, quos homo ex propria inclinatione naturæ rationalis ut talis velut ex obligatione exercet, cujus sensum ista non habent. Et dum distinguunt, secundum naturam suam aliter facere non possunt. Nec proprie puniuntur, sed potius ut memoria criminis penitus deleatur; ne horrendi facti memoria ante oculos hominum versetur in bruta animalia quandoque animadvertitur secundum Gratianum *c. 4. c. 15. qv. 1 Dn. Hahn. ad Wesenb. de Pœn. n. 6. Zœf. Eod. n. 31. Horn. de Subject. Jur. Natur. cap. 12. §. 8.* pari modo sicut quandoque in res inanimatas ob exemplum animadvertitur vid. *l. 1. C. de Fals. Monet. Add. Zœf. d. l. ubi varios ejusmodi casus refert. De cadaveribus mortuorum suspensis rotæ affixis, aut combustis vid. Carpz. Pr. Crim. Qv. 131. n. 30. & 31. Heig. Part. 2. Qv. 37. n. 32. Peregrinus de Jure Fisci Lib. 4. Tit. 5. n. 19. cum seq.*

*Declaratio.*

Unde non sine figura intelligendi sunt, qui brutis quibusdam animantibus Justitiam, Fortitudinem, Misericordiam, Gracitudinem, Castitatem tribuunt, ideo, quod istarum virtutum simulacra quandoque in quibusdam brutorum actionibus cernantur vid. *Selden. de J. N. & Gent. Lib. 1. cap. 5.* hanc in rem allegatus à Dn. Pufendorf. *Eod. Lib. 2. cap. 3. §. 2.* ubi simul subjicit rationem; quod ea quæ extrinseca facie similia videntur, haud quicquam eadem sint, si ex diverso intrinsecus principio profluxerint. Imo homo, cum animans quidem sit, sed eximum animans, multo que longius distans à cæteris omnibus quam cæterarum genera inter se distant, dum appetit so-

cie-



cietatem i. e. communitatem non qualemcunque sed tranquillam & pro sui intellectus modo ordinatam cum his qui sui sunt generis, abstinet se à nocendo etiam cum incommodo sui, reliqua autem animantia nocent aliis ut sibi profint, cum nesciant, quia malum est nocere vid. Grot. de J. B. & P. Lib. 1. cap. 1. §. 11. ut hinc ad exaggerationem alicujus sceleris plurimum facere judicetur; si ostendatur ab istiusmodi facto ipsa quoque bruta abhorre Conf. Plat. Lib. 8. de LL.

V.

**Jus Naturæ à nemine potest mutari.**

*Ratio.*

Quia fundatur in Sanctitate & Justitia divina, & circa actus naturâ sua intrinsicè & antecedenter bonos vel malos occupatur.

Ex quibus simul patet, quod nec ab ipso DEO mutari possit; cum DEUS sibi semper constans suæ Sanctitati aliquod contrarium admittere non possit. Sicut enim, ut bis duo non sint quatuor ne à DEO quidem potest effici, ita ne hoc quidem, ut quod in trinfecatione malum est malum non sit secundum Grot. de J. B. & P. Lib. 1. cap. 1. §. 10. n. 5.

*Ampliatio.*

Quæ ita procedunt, quat. Jus Naturæ in thesi consideratur; aliud secundum applicationem, si sermo sit de conclusionibus, ex notitiis illis primis deductis, cum sic nulla mutatio in Lege Naturæ contingat, sed solum subjectum ex numero eorum, quæ lex naturalis comprehendebat circumstantiis ita svadentibus extrahitur. Hinc recte dicit Dn. Pufendorf. Lib. 1. cap. 3. §. 8. si collisio fiat inter præceptum affirmativum *Da eleemosynam* & negativum. *Ne furtum facias*, sine dubio non esse furandum, ut eleemosynæ suppetat materia: cum præcepta affirmativa vim obligandi non exserant, ubi agendi materia deficit. Sic & suum cuique reddendum esse, & depositum, reposcenti restituendum, dicitur ratio: sunt tamen casus, quibus justissima ratione denegatur, de qual. 31. in fin. ff. *Depos.* multa enim quæ honesta videntur natura, temporibus fiunt in honesta ut ait Cicero Lib. 3. de off. quo casu non tam tollitur lex naturalis, quam declaratur ejus materiam cessare, ut tradit Zoes. ad ff. de J. & J. n. 57. in fin. Add. Grot. d. l. n. 6.

*Limitatio.*

F

Ex



*Dilectio:*

Ex quibus simul patet minus accurate dici, quod in concursu duorum Juris Naturæ standum sit fortiori, si utrumque non possit fervari; cum unum præceptum Juris Naturæ altero fortius obligare non possit, utpote cum non minus ac Leges Civiles omnia, eodem obligandi principio nitantur.

VI.

*S. G.*

5. Quodcumque recta ratio simpliciter inculcat, citra respectum ad necessitates humanas, illud est Juris Naturæ. Quodcumq; vero ratio composita (scil. ex ratione simplici & necessitate) demum dicitur hoc Juris Gentium dicitur §. 2. *Inst. de J. N. G. & Civ.*

*Ratio.*

Quia Jus Naturæ consistit in ipsis istis principiis primis nobiscum natis quæ in omni discursu præmittenda sunt, & quasi quoddam fundamentum argumentationi esse debent, ac normam constituere rectitudinis, seu, cui res congruant. Jus Gentium autem ex causa demum aliqua & suppositione alterius rei justum esse intelligitur, cum secundum quid tantum, necessarium sit ad vitam socialem, non vero simpliciter, sed quatenus supponimus reluctantem voluntatem nostram dictamini rectæ rationis.

*Exempla.*

Sic DEVM esse colendum, parentes honorandos &c. etiam rusticus quamprimum audit, concedet & credit. Sed bella esse licita initio non credit, sed potius negabit, nisi ratiociniis convincatur; v. gr. Si quæras annon justum, ut, quod mihi ablatum, restituatur? Affirmabit sine dubio. Sed si alter restituere nolit, an non justum ut judicem ad eam? Etiam hoc affirmabit. Sed si judex haberi nequeat, annon propria autoritate auferre possum? Itidem non negabit, quia tantum aufero quod meum est. Si autem solus non sufficiam, annon quosdam in subsidium vocare licet? Omnino & hoc licere affirmabit. Et sic ejusmodi ratiociniis convictus simul affirmat bella esse justa, quod ratio simplex eidem ab initio non dictasset, licet ipsum belli fundamentum dictamen rectæ rationis statim



statim insinuet ; de quo ulterius in positione seq. Alia exempla exhibet Illustris Dn. Struv. d. t. §. 7. quæ maxime consistunt in munitione Juris Naturæ adversus ejus transgressores per judiciorum constitutionem & certarum pœnarum impositionem item in extensione J. N. ad alia similia.

Cum autem sic utrumque hoc Jus ex eodem principio dependeat eademque obligandi sit necessitas, revera Jus Gent. à Naturali distinctum non est. Et non male Hobbes. *de Civ. cap. 14.* naturalem legem dividit in naturalem hominum, & naturalem Civitatum, quam Jus Gentium dicit, ita ut præcepta utriusque eadem sint; sed quia Civitates semel institutæ induunt proprietates hominum personales; lex, quam, loquentes de singulorum hominum officio, naturalem dicimus, applicata totis civitatibus vocatur Jus Gentium. Quam sententiam etiam probat Dn. Pufendorf. *de J. N. & G. Lib. 2. cap. 3. §. 22.* Nisi abusive id quoq; Juris Gent. esse dixeris, quod plures Gentes observant; quo sensu etiam Jus Civ. Rom. quia ubivis fere receptum Jus Gentium factum esse dicimus vid. prolixius Dn. Mev. *Prodr. Jur. Gent. Insp. 3. §. 9. & 10.* Et ante hunc Arthur. Duck. *J. C. Angl. de Ant. Jur. Civ. Rom. Lib. 1. cap. 2. pr.* Sed tamen cum hoc non fiat ex obligatione rationis intrinseca, sed ex cujusque gentis bene placito speciali, nulla tanta hic subest obligandi necessitas, ut non possit quælibet Gens tali juri repudium mittere. Receptio enim obligat singulos, non vero universos. Manebit E. sic hoc Positivum vid. Joh. Frid. Horn. *Lib. 1. de Civ. cap. 3. §. 3. & Dn. Pufendorf. d. l.*

*Declarat*

VII.

Bella in se & sua natura, seu materialiter accepta sunt Juris Naturæ. §. 7.

Natura enim injustum est, alteri invito rem suam auferre, vel petenti non restituere. Cum autem privatis injuria, damnoque affectis judicem adire licet, & per actiones suam consequi. *l. 11. ff. Quod met. caus. non debent utique Summæ potestate.* *Ratio.*

F 2

te-





testates deterioris esse conditionis Conf. Grot. *de Jur. B. & P.*  
*Lib. 1. Cap. 2. §. 1. 2. 3. & 4.* Dn. Albert. *Comp. Jur. Nat. Lib. 2. c.*  
*1. §. 1. & 2.*

*Ampliatio.* Atque sic quoque bellum offensivum per se justum erit  
dicendum.

*Limitatio.* Modo Personæ fuerint habiles, Causa, Finis, Modus ge-  
rendi justus fuerit Grot. *d. l.*

*Exempla.* Hinc nemini Imperatore inscio ac inconsulto quorumli-  
bet armorum movendorum copia tributa est *l. un. C. ut Arm.*  
*Us. insc. Princ. interd. Lib. 11.* sed reus Læsæ Majestatis dicitur  
qui injussu Principis bellum gessit, & exercitum comparavit  
*l. 3. ff. Ad L. Jul. Maj.* Cum singulis concedendum non sit, quod  
per magistratum fieri publice potest, ne occasio sit majoris tu-  
multus faciendi *l. 176. ff. de R. J.* Cur enim ad arma & rixam  
procedere patiatur Prætor, quos potest Jurisdictione sua com-  
ponere *l. 13. §. 3. ff. de Usufr.* Inde Ulpianus hostes definit, quibus  
bellum publice Populus Rom. decrevit, vel ipsi Populo Rom.  
cæteros latrunculos & prædones appellat *l. 24. ff. de Capt. & Post-*  
*lim. Revers. Add. l. 118. ff. de V. S. & l. 234. ff. Eod. ibique Dd.* Nec  
non maxime Gail. *de P. P. cap. 4. Lib. 1. n. 4. cum seqq.*

Sic quoque si bellum non fuerit necessarium; vid. *Liv.*  
*Lib. 9. Cap. 1.* sed Ratione Status permoti, ob metum aliquem-  
fictum aut non satis certum ad imminuendam alterius cre-  
scentem potentiam, quæ nimium aucta nocere aliquando  
posset, innocentes vicinos invadant omnium consensu erit,  
contra Jus Naturæ. Conf. Grot. *de J. B. & P. Lib. 2. cap. 21. §. 5.*  
Reinking. *Bibl. Polic. Lib. 2. Ax. 146.*

Atque insuper cum omne bellum ob injuriam illatam,  
inferendum vid. Dn. Pufendorf. *de J. N. & G. Lib. 1. cap. 7. §. 15.*  
si Princeps non attentâ satisfactione oblatâ nihilominus alte-  
rum persequeretur bello ad culpam ejusmodi puniendam,  
pariter injuste ageret. Bellum enim Punitivum non datur,  
cum Personæ Majestate fulgentes imperium non agnoscant,  
nec puniri possint *l. 31. ff. de LL. l. 3. C. de Testam. & §. fin. Inst.*  
Quib.



*Quib. Mod. Testam. infirm. nisi eas ad Deum referas Dn. Albert.  
Comp. J. N. cap. 16. Lib. 2. §. 20.*

Præterquam etiam quod non minus damnabile quam  
stultum sit ea perdere, quæ nec hosti perdita vires adimunt,  
nec perenti emolumentum affert, ii etiam non possunt  
non intelligere, quantopere villas & urbes exurendo, agros  
devastando esculenta omnia & potulenta corrumpendo, imo  
ipsa loca sacra & religiosa diruendo, excindendoque justum  
bellandi modum excedant.

Ex quibus maxime elucescit quantum ab hisce differat *Declaratio*  
bellum secundum strictum Jus Gent. consideratum. Quo  
Jure non interest gladio an veneno hostis interimatur, an per-  
cussore immisso qui fidei vinculo occidendo hosti non est ob-  
strictus Grot. de J. B. & P. Lib. 3. cap. 4. §. 18. cum nihil omit-  
tendum quod ad obtinendam victoriam facit; sive ad hostium  
vires debilitandas tendat, sive ad nostras confirmandas Grot.  
de J. B. & P. Lib. 3. cap. 1. §. 2. ibique Dn. Ziegl. unde & vastatio  
agrorum & segetum immatura defalcatio licita. Conf. der  
Sächs. Helden-Saal Sigm. v. Birck / p. m. 281. & seqq. Grot.  
d. l. cap. 12. ibique Dd. Add. Dn. Feldem. ad Grot. Lib. 4. cap. 4.  
§. 16. Bellum enim dum geritur non contra Duces vel exer-  
citus solum, sed utrinque contra subditos & cives instituitur  
cum ab iis quoque damnum metui possit, quippe qui juramen-  
to se obstrinxerunt, quovis modo Reip. salutem se procuratur-  
os. Adeoque decipere ibi pro moribus temporum pruden-  
tia est, Plin. Lib. 8. Ep. ad Ruf. Non sexus, non ætatis primo eo  
Jure habetur ratio, innocentes ibi ac noxii juxta cadunt Tacit.  
Lib. 1. Annal. Quâ ratione bellum utrinque justum facile datur.  
Ratione causæ autem ab utraque parte bellum justum esse ne-  
quit, nisi forsan ex belligerantium intentione, dum quisque  
justam causam se habere putat. Ex qua intentione excusan-  
tur litigantes, quando utrinque juramentum calumniæ præ-  
stant, se credere, se habere justam litigandi causam Magnif. D.  
Stryk. Annot. ad §. 1. Inst. de J. N. G. & C. Ut bellum Israëlitarum  
& Cananæorum vid. Grot. Lib. 2. cap. 23. §. 13.



§. 18.

Legum seu Sanctionum Imperii Electores & Status una cum Imperatore existunt autores.

*Ratio.*

Cum nemo possit invitos valide in ordinem cogere, & sic effectum dare legi vid. *l. 1. § 7. ff. de LL.* nisi qui in Rep. est summus. Jam autem uti inter Christianas Gentes vix datur pura & simplex Reip. forma vid. Klapmar. *de Arcan. Rerump. Lib. 1. cap. 20.* sic etiam Aristocratia in Germanorum Rep. præcedit, ut adeo solus Imperator Jura Majestatis non habeat, sed potiora universis ordinibus simul competant.

*Ampliatio.*

Quamvis Reinking. *de R. S. & E. Lib. 1. Class. 2. c. 1.* Monarchicum Imp. Statum SS. literis, Juri Can. & Civ. A. B. & reliquis Imperii Constitutionibus conformem probare conetur; (cui satisfacisse videtur Limn. *de Jure Publ. tit. 1. lib. 1. c. 10. n. 20. cum seqq.*) & alii cum Bodino *de Rep. lib. 2. cap. 1. n. 181.* itemque *Method. Histor. cap. 7.* Paurmeist. *lib. 2. de Jurisdic. Imp. Rom. c. 2. n. 9.* meram formam Aristocraticam statuunt, ut vel simulacrum aliquod Monarchiæ inibi apparere negent. Conf. Dn. Otto *de J. P. c. 7. p. m. 106.* Clapmar, *d. l. lib. 5. cap. 20.*

*Exempla.*

Hinc Leges hodiernæ in nomen Recessuum Imperii des Reichs Abschiede/transierunt. Sic Maximilianus eas vocat *seine und des Reichs Ordnungen / Const. 1500. Mens. Septemb.* quam vocat: *Die Ordnung und Regiement unsers und des h. Reichs Ständen / tit. Daß der Hauptmann / Sc. Add. tit. Verbindung der Königl. Majestät und des Reichs Ständen.* Atque insuper dum subscribunt & sigilla adjiciunt Status Imp. eò ipsò se testari dicunt: *Daß die obgeschriebene Ordnung mit ihren Rath / Willen / Zugeben und Annehmen fürgenommen / geordnet / gesetzt und gemacht sey.* Quod idem in *Ord. Cam. 1507.* fecerunt, *J. antepen. Und wir Churfürsten / Sc.*

*Declaratio.*

Quæ tamen hunc in modum tantum de Statu Imp. moderno intelligenda; cum pro varietate temporum nunc Impp. nunc Procerum autoritatem quodammodo prævaluisse Historiâ



riâ edoceamur. Quam in rem apposite differit Forstn. ad Tacit. lib. 15. cap. 54. p. m. 268. his verbis: *Illud in universum mihi observasse videor, sub potentibus & bellicosis Principibus intentiorem dominationem fuisse; contra sub inertibus aut invalidis majorem Procerum audentiam. Sub Carolo M. & Ottonibus regia manus. Haec imperabat nullis exceptionibus, non precario jure parendi. Postquam versa rerum facies, & Henrici, Fridericique cum Pontificibus Rom. dissidere cœperunt, Principum haud pauci Caesaribus fidem & obsequium vendentes immunitates extorquebant; quisque sibi, & quo sociis potentia nitetur, etiam aliis. Rudolphus Habspurgicus modicis iniitiis contra Ottonem ferociam liberis quoque provehendis favorem sibi Procerum conciliaturus, Carolus IV. Imperium Wenceslao filio ambiens, omnia Principibus largiebantur.*

IX.

Quatenus scriptura pro legis promulgatione accipitur, eatenus necessaria legi est Scriptura. §. 2.

Cum promulgatio demum essentiam Legis suo concursu compleat, nec antea obliget l. 65. C. de Decur. c. leges dist. 4. l. fin. ff. de Decret. ab ord. fac. propter l. 26. ff. de V. O. c. Nemo eod. in 6. Ratio.

Adeo, ut Lex ante promulgationem neque eum obliget, qui scit eandem esse conceptam, cum nondum habeat vim obligandi tanquam commune præceptum; adeoque nec uni soli præ cœteris, aliis concessam libertatem possit auferre. Poterit etiam Princeps voluntatem suam mutare, & contrarium statuere vid. Zœf. in Comm. ad ff. de LL. n. 11. Ampliativ.

Consequenter Tyrannum ut in cœteris, ita in hoc quoque egit C. Caligula Imperator, quod cum indiceret vectigalia, ea vel non proponeret, aut si legem proponeret, minutissimis literis, locoque angustissimo id fieri curaret, ne cui describendi facultas esset Sveton. in Calig. Exemplar.

Promulgationis autem vocabulum hic paulo latius accipiendum quam apud Romanos olim fieri solitum; quibus legem promulgare erat, publicè eam proponere, integro trinundino antequam ferretur vid. Magnif. D. Stryk, Præcogn. Jur. Univers.





*univers. cap. 1. §. 15.* cum etiam aliter divulgari & nota fieri vulgo possit.

Nec continuo à promulgatione obligat, sed regulariter demum post lapsum duorum mensium à die publicationis *Nov. 66.* nisi forte longius aut brevius tempus nominatim à Legislatore præfinitum, vid. *Christin. Vol. 2. D. 52. n. 5.* & *Dn. Philipp. Usu Pract. L. 1. Ecl. 11.*

Alii distingvunt inter necessitatem absolutam & conditionatam. Illo modo scriptura non est necessaria ad essentiam legis; omnino tamen hoc casu, scil. ut eò melius in notitiam Populi Leges pervenire possint, nec ignorantia quis se excusare queat; cum hominis memoriam labilem esse constet ex *l. 44. ff. de A. vel. A. P. Add. §. 10. Inst. de J. N. G. & C.*

## X.

§. 10.

Jus Prætorium cum Jure Civili hodie confusum.

Ratio.

Quia Imperator omnia quæ in Corpus Juris retulit sua fecit *l. 1. §. 6. C. de J. V. E.* Atque insuper officium Judicis & Prætoris hodie confusum, i. e. non dat Prætor amplius Judicem, sed ipse judicat, ut adeo omnia judicia hodie dicantur extraordinaria *§. fin. Inst. de Interdict.*

Imitatio.

Scil. confusum Jus Prætorium cum Civili tam ratione auctoritatis, quam æqualem habet cum Jure Civ. postquam Juris Corpori insertum; quam ratione processus; cum æquali modo (secundum sensum Jur. Civil.) ex utroque Jus dicatur: sed non ratione qualitatis intrinsecæ.

Hinc non tantum Actio injuriarum adhuc est annalis *l. 5. C. de Injur.* Quod etiam ad Actionem ad Palinodiam extendit *Dn. Mev. P. 5. D. 369.* sicut & de Injuria scripta idem asserit *Dn. Carpz. P. 4. C. 46. D. 1.* licet Praxis Cameræ contrarium velit *Gail. L. 2. O. 104.* sed etiam Actio vi bonorum raptorum quatenus in quadruplum datur *l. 2. §. 13. ff. de Vi bon. rapt.* Actio, quæ datur contra eum, qui exemit in jus vocatum *l. pen. §. 4. ff. Ne quis eum qui in jus voc.* Actio contra calumniatorem *l. 1. pr. ff. de*



*ff. de Calumn.* Nec non Actio quæ datur contra illum qui tempore incendii vel naufragii quid rapuit, intra annum in quadruplum datur *l. 1. pr. ff. de Incend. Ruin. & Naufr. l. 18. C. de Furt.* Quò etiam spectant omnes Actiones Populares, quas Prætor dedit; *l. fin. ff. de Popul. Act. ut, Actio de Albo Corrupto.* Et quamvis aliqui hoc negent cum ad publicam utilitatem spectet arg. *l. 1. ff. de Popul. Act.* talia vero Interdicta non sint temporalia sed perpetua: *l. 2. §. 14. ff. Ne quid in loc. publ. l. 3. §. fin. ff. de Lib. Hom. Exhib.* hi textus tamen de pœnali persecutione non loquuntur. Hinc quoque Actio de Sepulchro violato quatenus pœnalis anno exspirabit cum sit Prætoria & Popularis. *l. 3. §. ult. ff. de Sepulchr. Violat.* Quo casu tamen hoc delictum publica lege vindicatur, quod fit in *l. 7. ff. d. t. eo casu durabit per 20. años.* Idem obtinet in Interdictis, quatenus ad pœnam agitur ut: Ne vis fiat ei qui in possess. miss. *l. 1. §. ult. ff. Ne vis fiat &c. Unde Vi l. 1. pr. de Vi & vi arm. Quod Vi aut clam l. 15. §. 3. ff. Quod vi aut Clam.*

Sic etiam hanc qualitatem salvam Juri Prætorio reliquit Justinianus quatenus Remedia Prætoria adhuc concessa vel contra Jus Civ. vel etiam ubi hoc deficit. *Istiusmodi generis sunt Actio Rescissoria l. 35. in fin. pr. ff. de O. & A. Actio Pauliana l. 6. §. fin. & l. 10. §. 18. ff. Qu. infr. cred. (nisi locupletior factus possessor arg. l. 10. §. pen. ff. d. t. Hill. in Donell. Tit. 22. cap. ult. lit. B.) Actio quod Metus causa l. 14. §. 1. ff. Quod Met. Caus. Restitutio in integrum ob Minorennitatem l. fin. C. de Temp. in integr. rest. Actio in factum ob alienationem judicii mutandi causa factam l. 6. ff. Alien. jud. mut. caus. fact. Quo etiam certa ratione spectant Actiones Ædilitiæ, sunt enim species Juris Honorarij §. 7. Inst. de d. J. N. G. & C. l. 5. pr. vers. Prætorias ff. de V. O.*

Posteriores autem generis sunt Bonorum Possessiones: v. gr. Si filius præteritus, qui tamen testamentum non impugnat *l. 17. ff. de Injust. Rupt.* Si posthumus præteritus, qui tamen vivo testatore decedit *l. 12. pr. ff. d. t.* Quibus casibus heres scripto Prætoris beneficio saltim admittitur, quia testamentum Jure Civ. est nullum sive ruptum. Quo etiam spectat casus si con-

G juges



juges deficientibus cognatis succedere velint *t. t. Und. Vir & Ux.*  
 cujus beneficio quis in universam defuncti conjugis hereditatem succedere adhuc hodie potest, cum statuta locorum stricte interpretanda ne lædant Jus Commune Kohl. *de Success. Conjug. P. 1. n. 5.* Aliud si cognati adsint vid. *Nov. 53. cap. 6. & Dn. Brun. Reper. Paratitl. Wesenb. ad ff. d. t. Qu. 2.*

*Declaratio*

Inter Jus Civ. autem & Prætorium hoc intererat, quod inter Jus strictum & æquitatem: supplebat enim Prætor, adjuvabat, corrigebat Jus Civ. *l. 7. §. 1. de Inst. & Jur.* Et in toto suo Jure respexit ad æquitatem naturalem. Hinc non infrequens est in Jure, quod Prætor naturali ratione motus aliquid statuerit. Sic etiam ad quod Jure Civ. teneor, ab eo per beneficium Juris Prætorii liberari possum, ut in promissione metus causa, extorta. Cum enim primarius Legislator omnia complecti nequeat, ut ait Arist. *5. Ethic. 14.* & tantum non iisdem verbis Julianus *l. 10. ff. de LL.* reliqua inferiora permittere debet secundariis Legislatoribus, tanquam minoribus quibusdam Diis ut est in Timæo Platonis: unde dicitur; illi, qui jurisdictioni præest, jus esse ad similia procedendi, ad supplendum, atque ita jus dicendum *l. 11. 12. & 13. d. t.* Licet namque nihil facile sit mutandum ex solennibus à primario Legislatore constitutis *l. 7. de In integr. Rest. l. 144. de R. J. l. 13. C. de Appellat.* tamen ubi æquitas evidens exposcit, subveniendum est *l. 8. C. de Ind. d. l. 7. §. 1. de J. & J. l. 18. de LL.* Eapropter Jus Honorarium dicitur, & quod non modicam habeat Juris autoritatem, quasi in honorem Prætorum eorum Edicta sint recepta, cum Jus tantum ad factum applicandi & interpretandi potestatem haberent, unde Legis viva vox dicuntur. *l. 8. ff. de J. & J.* Magnif. D. Stryk. *Præcogn. Jur. Univers. cap. 1. §. 23.*

XI.

*§. 11.*

Toties Constitutio Principis obligat omnes, quoties fit animo condendi legem.

*Ratio.*

Quia voluntas Principis est anima legis; arg. *l. 1. ff. de Const. Princ.*



*Princ.* hæc autem determinata esse debet, & deliberata, non ex ab rupto prolata, ut fiat animo condendi legem.

Hinc Ediçta, Decreta, Rescripta & Mandata Principum, *Exempla* pro lege reputanda *d. l. 1. §. 1. ff. d. t.* Imo & sententiæ interlocutoria, si scil. & hic de animo Principis Legislatoris constiterit vid. *l. 9. §. 3. ff. Quod Met. Caus.* Privilegia vero legem non faciunt: arg. *l. 8. ff. de LL.* Sunt enim tantum leges privæ sive singularum ut Isidorus *Lib. 5. Etym. cap. 8.* annotat, quia veteres priva dixerunt, quæ nos singula Gell. *Lib. 10. Noct. Attic. cap. 20.*

Modo tamen ista Principis voluntas neque ex verbis forte (*Limitatio* quorum interpretatio ab ipso Principe petenda) neque ex actu quodam dubia dici possit: ut in Rescripto Juri Communi vid. *l. 2. 4. 5. C. de Precib. Imp. Off. l. 10. C. de SS. Eccles. l. 1. cum seq. C. Ut lit. pend. l. 5. C. Qui mil. poss. vel publicæ utilitati derogante: l. ult. C. Si contr. jus vel util. publ. l. 3. C. de Prec. Imp. Off. Nov. 12. C. 13.* in quo Princeps non subjecit expresse: *Se non obstante Jure Comm.* ex certa scientia id constituisse. Quod etiam obtinet, si in tertii præjudicium quid constituat Princeps; cum talia facere non solet *l. 1. C. de Emend. lib. l. 2. ff. de His qui sui vel al. jur.* Hinc etiam clausula illa: *Si preces veritate nitantur*, semper inferenda *l. ult. C. Si divers. Rescript.* Quæ tamen ex *v. 2. X. de Rescript.* intelligitur inserta. vid. Gail. *Lib. 2. Observ. 14. num. 1. cum seqq. & Lib. 2. Observ. 76. num. 9. cum seqq. Mynsing. Cent. 4. Observ. 8. n. 5. cum seqq.*

Quod autem Princeps animum legem condendi habuerit dignoscitur inter alia ex eo, si constitutionem aliquam jussit per omnes Populos Judicum Programmatibus divulgari *l. 3. ibi: vel per omnes Populos C. de LL. ut in l. 1. §. ult. C. de Off. Præfekt. Prætor. Afric. & in Epilogis Novell. Justin. pene omnium.* Si Princeps diserte jussit, ut similia quoque causarum fata vel facta definiantur eodem jure *d. l. 3. ibi vel expressius C. de LL.* Si vocetur Lex Generalis, vel ad omnes pertinere jubeatur *d. l. 3. vers. Sed & si generalis C. de LL.* Add. Colleg. Argent. *de Const. Princ. §. 9.* *Declaratio*





**§. 12.** Quicumque est effectus Legis novæ, idem quo-  
que est effectus consuetudinis introductæ.

**Ratio.**

Cum consuetudo habeat vim legis *§. 9. Inst. de J. N. G. & C. l. 1. C. de Edif. Privat. l. 3. §. fin. ff. de Testam. l. 1. ff. de Usur. l. 20. §. 3. Mandat.*

**Exempla.**

Quare si consuetudo generalis est, quam servat tota provin-  
cia *c. 5. X. de Aut. & Us. Pall. legem generalem; si specialis est; quæ in una civitate tantum obtinet l. 13. §. si constat ff. Comm. Præd. specialem legem abrogat, quatenus scil. lege est posterior vid. Dd. ad §. 9. Inst. de J. N. G. & C. Legem dubiam interpreta-  
tatur, certam firmat, corroborat, quia optimus legis censor, atque interpres l. 37. & seq. ff. de LL. c. 8. X. de Consuet. Sicuti etiam correctio juris non præsumitur, nisi in lege nova hoc expressum, ita ipsa quoque consuetudo eum in modum explicanda, ut quam proxime accedat ad Jus Comm. nec extendenda ad casus non expressos Dn. Carpz. P. 2. C. 44. D. 12. n. 2. nec ad personas exemptas Dn. Mev. P. 2. D. 30. Aliud si præter scriptam legem inducat Jus Novum; quo casu non minus extenditur quam lex a *g. l. 13. ff. de LL. ex ratione l. 12. ff. eod. Et Judex secundum consuetudinem judicare tenetur: pr. Inst. de Off. Jud. Auth. Jubemus C. de Jud. adeo, ut sententia contra eam lata sit ipso jure nulla l. 19. ff. de Appell. Dn. Mev. P. 2. D. 377. n. 2. nec ulla appellatione egeat Dn. Mev. d. P. 2. D. 268. per tot.**

**Exempla.**

Cum autem hic sæpius occurrant termini: *Derogare legi Abrogare legem, Mutare legem, Contradicere legi* declarationis loco subjicimus, quod *Derogare legi* sit, quando in una parte legi aliquid detrahitur vel additur, ampliamus vel limitamus, salvâ de cæteris legis autoritate. *Abrogare legem* est, eam in totum tollere, ut plane hujus legis nullus amplius sit usus. *Mutatio* est, quando lex tollitur, & simul contrarium inducitur. *Contradicere* vero legi est, ubi utraque lex lata, sed inter se invicem in terminis suis pugnant, quæ contradictio proprie est antinomia.



Quodcumque ad inducendum tacitum Populi, & in Statu Monarchico Principis consensum sufficit; illud quoque ad introducendam consuetudinē.

§. 131

Cum in tacito ejus consensu, qui potestatem habet, expresse condendi leges; formalis ratio consuetudinis consistat. *l. 32. §. 1. ff. de LL.*

Ratio

Adeo, ut hinc certus numerus annorum non requiratur, sed tempus quo consuetudo effectum Juris accipit indefinitum & arbitrarium est, quantum sufficit, ut concurrat ad significandum consensum, dicit Grotius *de J. B. & P. lib. 2. cap. 4. §. 5.*

Ampliatio

Multo minus de Jure Comm. necessarium est, ut consuetudo sit præscripta: licet hoc velint aliqui Dd. quod *fin. X. de Consuet.* exigatur ad subsistentiam consuetudinis legitima præscriptio, & in *l. 33. ff. de LL. l. 1. C. Quæ sit long. consv. junct. l. 1. §. ult. ff. de Aqu. & Aqu. Pluv. Arcend.* requiratur longum vel diuturnum tempus; longum vero vel diuturnum tempus significat decennium *l. 16. §. 3. ff. Qui & à quib. man. pr. Inst. de Usucap.* Præterquam enim quod aliàs etiam in Jure nostro inveteratum id asseratur, quod est à memoria nostra remotum saltem per 40. annos; *l. fin. C. de Fund. Rei Priv. particula Diu* interdum restringitur, ut in *l. 56. ff. de Locat.* ad biennium, aliquando ad quinquennium ut in *l. 3. §. 3. & l. 13. §. fin. ff. de Re Mil.* sæpe ad decennium, ut in usucapione & præscriptione *d. l. 16. §. 3. ff. Qui & à quib. manumiss.* interdum dilatatur ad 20. & 40. annos ut in *l. 17. §. 1. ff. de R. N.* Add. Dn. Richt. *Velit. Acad. 31. §. 20.* In *d. c. fin.* vero vocabulum *Præscripta*, idem est, quod *introducenda* vid. Bachov. *ad Trentl. Vol. 1. Disp. 1. th. 9. lit. C.*

Aliud de Jure Sax. & Prutenico dicendum, quæ ad inducendam & perficiendam consuetudinem certum temporis spacium habent definitum nempe 31. annorum 6. hebdomadarum & 3. dierum *Landrecht Lib. 1. Art. 29.* ibique Gloss. nec non *Art. 38.* Idem in *Pr. Landrecht Lib. 1. tit. 33. §. 15.* Add. Dn. Carpz. *P. 2. c. 3. d. 31. Philipp. Us. Pract. Lib. 1. Ecl. 27. n. 6.*

G 3

Nec





Nec actus plures necessarii, quam ex quibus ille consensus eliciatur: sive sint judiciales, sive extrajudiciales arg. l. 28. C. de Transact. licet per hos commodius consuetudo probetur l. 34. ff. de LL. Modo tamen sint voluntarii & liberi, non conventionales; sed quod agentes crediderint hoc ita Juris esse, cum aliàs factum alterius alteri non præjudicet. vid. Zoes. de LL. n. 75. Nec Juri Divino Revelato & Concreato contrariantur arg. Clem. Pastoralis de Re Jud. c. fin. X. de Consuet. Nov. 134. c. 1. in fin. Add. Dn. Mev. P. 9. D. 161. & Philipp. Wf. Pract. Lib. 1. Eclog. 25. Cum aliàs inde dicatur irrationabilis consuetudo, non vero quod ejus ratio reddi nequeat Dn. Mev. P. 2. D. 378. & P. 9. D. 160.

*Declaratio*

Cum proinde consuetudo in solo tacito Populi consensu consistat interveniente errore vel non certa Populi scientia, consuetudinis introductio merito impeditur; siquidem consensui contrarium quicquam magis atque error non reperitur l. 15. ff. de Jurisdic. l. 2. pr. ff. eod. l. 20. ff. de Aqu. & Aqu. Pluv. ar. cend. Conf. Dn. Frantz. in Comm. ad ff. de LL. n. 96. & seqq.

XIV.

§. 14.

Quicumque consuetudinem pro se allegat, eandem probare tenetur.

*Ratio.*

Quod enim consuetudo inducta sit, hoc facti est c. 1. de Const. in 6. talia vero quæ facti sunt, ab allegante probanda. per l. 21. de J. & F. J. Conf. l. 13. §. ult. ff. de Publ. l. 1. C. de Probat. l. 9. C. de Collat. l. 1. C. quæ sit long. consu. l. 3. C. de Ædis. Privat. l. 4. C. de Cust. Reor.

*Ampliatio.*

Et quidem non generatim, sed specialiter in eo casu de quo quæritur ex ratione l. 7. ff. Comm. Præd. l. 4. pr. ff. de Jur. fisc. veluti responderunt Jcti Jenenses Mens. Octobr. Anno 1640. teste Dn. Richter d. l. §. 28.

*Limitatio.*

Modo non memoriæ causa publicâ autoritate in scripturam redacta sit consuetudo, aut forte sit notoria; probatio enim ideo injungitur, ut per eam fides fiat judici Dn. Brunn. ad l. 8. ff. de Fin. Regund. num. 2. fides autem in notoriis jam adest. Conf.





Conf. c. 9. X. de Accus. Adeo, ut si tanquam notoria non fuerit allegata; ad abbreviandas lites ipse iudex in eandem inquirere debeat Dn. Mev. P. 2. D. 372. aut ex actis probationem supplere vid. Dn. Mev. P. 2. D. 2. n. 15. & P. 8. D. 102.

Probatum autem consuetudo vel *duobus* ad minimum *testibus* l. 12. ff. de Testib. c. 23. X. eod. in actibus, de quibus testantur, convenientibus vid. l. 9. C. de Testib. vel *Rebus iudicatis* l. 34. ff. de LL. Neutiquam vero scripto quodam Doctoris alicujus celebris plene (ut aliqui volunt) probatur: quamvis libris Argentariorum l. 9. §. 2. ff. de Edend. Philosophorum l. 36. ff. de Solut. Medicorum l. 12. ff. de Stat. Hom. Poetarum l. 1. ff. de Contrah. Emt. aliorum Peritorum l. 1. ff. de Ventr. Insp. l. 6. C. de Re Mil. in arte sua fides adhibeatur.

*Declaratio.*

XV.

Quoties casus decidendus occurrit, recurrendum (1.) ad consuetudinem loci specialem (2.) ad provincialem & generalem (3.) ad constitutionem Principis istius Provinciae, hisce deficientibus ad Jus Civile vel Canonicum.

§. 151

Quia unum Jus semper abrogatur per alterum, ideoque consuetudo loci specialis in primis erit attendenda; quia si fuerit perfecta, & suis numeris absoluta eandem vim habet in loco ubi viget, quae legis est in universum Gail. L. 1. O. 36. n. 43. l. 1. C. de Summ. Trinit. Auth. Cassa C. de SS. Eccles. Add. Auth. Jubeamus C. de Jud.

*Ratio.*

Maxime cum Electores & Status Imp. semper in Recessibus Imp. protestentur, ipsos de illis in tantum velle teneri, in quantum aliud laudabili consuetudine non introductum.

*Ampliatio.*

Sic in decidenda controversia feudali attentis praecipue specialibus Familiarum conventionibus, inspectis insuper literis investiturae & maxime antiquioribus 2. F. 12. c. 1. Add. l. 26. ff. de LL. l. 4. C. de Emanc. Lib. ad speciales cujusque loci consuetudines recurrendum, vel ubi situm est feudum si de eo sit

*Exempla.*

fit





fit controversia, vel ubi contractus celebratus, si de eo sit contentio, licet in Curia Domini diversum obtineat. Quæ si etiam deficiant semper ad magis particulare jus progrediendum; eo vero cessante ad commune Jus Feudale quod in toto Imperio Germanico obtinet, recurrendum. Et tandem si nec ex hoc casus decidi poterit in Jure Communi, eoque vel Civili vel Canonico pro ratione materiæ de qua lis est, subsistendum

*Declaratio*

Cum autem Jus Civ. per totam fere Europam commune; vid. Arthur. Duck. *de Usu & Auth. Jur. Civ. lib. 1. c. 2.* postquam per Constitutionem Maximiliani I. Anno 1495. universaliter in Germania receptum & confirmatum, Lehm. *Chron. Spirens. Lib. 4. c. 21. p. 337. in fin.* in omnibus causis possit allegari, nisi expresse contrarium probetur, adeo; ut ex eodem declaranda, restringenda & supplenda sint Jura Statutaria per allegatos Auctores à Dn. Lauterbachio *Comp. Jur. Civ. p. 1.* Jus Canonicum vero licet à Pontificiis æque pro universali habeatur vid. Menoch. *Conf. 52. n. 51.* quod Curia Romana fit tanquam magistra ab omnibus sequenda *Speculat. tit. de Appellat. §. 12. vers. ut autem.* Apud nos tamen, qui Pontificem non veneramur amplius, nec ullius ei in nos Jurisdictionis vinculum seu Civile, seu Ecclesiasticum largimur, semper rejectum præsumitur, nisi receptum probetur. Receptum autem est in materia Juramentorum, Matrimonialium, Præscriptionum, (ratione scil. b. f.) Processus. vid. Rittershus. *Proem. de Diff. Jur. Civ. & Can. Reinking. de R. S. & E. lib. 2. cl. 2. cap. 7. n. 11.* Obtinet etiam in Institutis Canonicatum vid. *Instr. Pac. Monast. Art. 5. §. 39.* & si Jus Civile de aliquo casu aut nihil aut obscure disposuit *arg. c. 1. X. de Nov. Oper. Nunciat. Dn. Carpz. L. 3. R. 106. num. 2.* Rittershus. *d. l. Reinking. d. l. n. 16.* Quamvis & in hisce materiis oppido paucas esse, quæ justam & piam contineant sententiam, reliquas corruptelis & impietatibus ita infectas, ut satius sit totum istud opus negligere, & aliunde addiscere, quod Ecclesiæ & Reip. sit salutare, concludat Dn. Ziegl. *Dissert. de Orig. & Increm. Jur. Can. præmiss. Comment. ad Inst. Lancell. §. 67.*



Quodcumque potest introduci per pacta, illud etiam potest disponi per statuta.

Quia statuta aliquando sunt quasi Jus quoddam Con-  
ventionale; cum non semper à Principe condantur: sed ali-  
quando etiam à Populo: quousque igitur singuli poterunt  
se pactis constringere, eo usque & plures statuta condere pote-  
runt. Quo facit Gloss. in Weichbild. Atr. 1. n. 10. p. m. 7. verb.  
Stadrecht ist das/da sich die Leute zusammen sagten/und  
begunten zusammen und mit einander zuwohnen/was sie  
da untereinander sagten/das hielten sie vor ein Recht ic.  
und heisset darum Stadrecht / daß es eine iegliche Stadt  
selbst willköhret von Göttlicher Anweisung Add. Gri-  
phiand. de Weichbild. Sax. Cap. 77. n. 7. & seqq.

*Ratio.*

Modo tamen Civitates inferiores probare possint Supe-  
rioris sui consensum vel *generalem*: ut in statutis, quæ Civitatis  
respiciunt administrationem *Seuer-Ordnungen/Becker-  
Ordnungen/Brauer-Ordnungen*; aut si à Principibus &  
Magistratibus Superioribus ipsa Collegia confirmantur; cum  
hâc ratione & statuta die *Innungs-Artickul* tanquam acces-  
soria ab ipsa lege confirmata censeantur. arg. l. 4. de Coll. & Corp.  
l. fin. C. de Jurisdic. Omn. Jud. l. 2. §. fin. C. de Const. Pecun. ibique  
*Godofred. Vel specialem*; si vergere possint statuta in Superio-  
ris præjudicium, vel legibus & constitutionibus repugnent.  
arg. l. 3. §. 5. ff. de Sepulchr. Viol. Conf. Dn. Hahn. ad Wesenb. tit. de  
LL. n. 3. Dn. Richt. P. 1. D. 3. n. 4. Decis. 80. n. fin. Dn. Carpzov.  
P. 2. C. 21. D. 13. n. 4. & Decis. 3. n. 8.

*Limitatio.*

Hinc cum ea quæ lædunt pietatem, existimationem, ve-  
recundiam nostram, aut contra bonos mores fiunt, nec facere  
nos posse credendum sit, l. 15. ff. de Condit. Inst. adeoque nec per  
pactum conveniri queant; cum impossibile nulla sit obli-  
gatio, l. 185. ff. de R. J. 135. & 182. ff. Eod. l. 35. ff. de V. O. l. 83. ff. Eod.  
l. 31. ff. de R. J. neque per statutum introduci poterunt; maxi-  
me cum statuta inferunt Jus; §. 1. Inst. de J. N. G. & C. Jus au-  
tem

*Exempla.*

H



tem mancum & plane inutile est, nisi per rationem tanquam  
formam suam animetur & quasi informetur. Quo spectant  
statuta: daß einer seine gemachte Arbeit nicht mehr oder weni-  
ger verkauffen soll den der ander. Daß die Leinweber, Bar-  
bierer, Schaffer, Müller und dergleichen Handwerker und ihre  
Kinder zu andern Handwerken und Zünften nicht sollen ge-  
lassen werden vid. Ord. Polit. Car. V. de Anno 1548. & Rudolphi M.  
de Anno 1577. Rubr von Handwerken in gemeinen & seq. von  
Handwercks Söhnen Add. l. un. C. de Monopol. Auth. Habita  
C. Ne Fil. Pro Patr. Auth. Navigia C. de Furt.

Declaratio

Constat autem ex hactenus dictis quodammodo non  
semper inverti posse hanc Positionem; ita scil. ut quod statu-  
to fieri potest, fieri etiam possit pacto: cum pacto privatorum  
potentius sit; si scil. jus statuendi specialiter civitati conces-  
sum Dn. Carp. Jurispr. Forens. d. l. Et viceversa, si specialis con-  
cessio probari non possit, quædam pacto fieri possunt, quæ sta-  
tuto constitui nequeunt, v. gr. Ne in Causa Juro Comm. ap-  
pellabili appelletur statuto prohiberi non potest Dn. Mey. P. 2.  
D. 222. nisi hoc specialiter concessum Dn. Brunnem. l. 9. ff. de J.  
& J. n. 2. quod tamen pacto fieri posse facile probari potest, per  
ea quæ tradit Dn. Brunn. in Process. Civ. Cap. n. 18. seqq. Insu-  
per cum hic concipiamus seu spectemus Statuta ut Jus Con-  
ventionale Universitatum Rectores, aut Consules Civitatum  
sine convocatione eorum quibus præsumt aliquid statuere non  
valent; sed potius convocato Populo, vel iis, qui Populum re-  
presentant, more solenni, per nuncios sive tabelliones publi-  
cos, vel per tibicines, cornicines, quos Festus Libr. 1. scribit à  
Priscis dictos fuisse Æneatores vid. l. 2. C. de Decur. l. pen. C. de  
Legat. in loco consveto aut jam placito. Conf. l. 1. §. 1. ff. Quod  
cuj. univers. nom. l. 85. l. 173. de V. S. l. 3. l. 8. l. 11. §. 1. C. de Adv. Di-  
vers. Judicior. t. t. C. de Profess. l. 2. §. 6. de O. J. t. t. de Publican. l. 1.  
l. 2. C. de J. V. E. Myns. Resp. 32. n. 22. & Resp. 40. n. 27.

XIII.

§. 17.

Quicumque Jurisdictioni statuentium non sub-  
sunt, illos obligare statutum nequit. De





Dependet enim statutorum autoritas aut ex vi jurisdi-  
 ctionis aut conventionis Carpz. P. 3. C. 20. D. 19. n. 6. ultra ter-  
 ritorium autem Jus dicenti impune non paretur, l. fin. ff. de Ju-  
 risdict. nec conventio inter certas personas inita aliis præjudi-  
 cat l. 27. §. Pacta ff. de Pact.

Ex quibus jam facile decidi poterit celebris illa contro- *Exemplar*  
 versia, quando quaeritur, quid si alia sint statuta in loco judicii  
 ubi causa ventilanda, alia in loco contractus, alia in loco rei si-  
 tæ, cujus loci statuta sint attendenda. Nempe prout causa  
 fuerit, ita quoque Jus aliud alio prævalet. Ut si civis Marchi-  
 cus vendat prædium suum Civi Saxon. tunc statuta loci ubi  
 prædiū situm attendenda, si perfecto contractu de ipso prædio  
 mota fuerit controversia arg. l. 3. C. de Edif. Privat. l. 13. §. 1. ff.  
 Comm. Præd. Alias locus contractus respicitur si de substantia  
 ratione solennitatum seu forma contractus quaestio sit l. 6. ff.  
 de Evict. Quod si vero forte per Appellationem causa ad Supe-  
 riorem fuerit devoluta, quoad ordinem Processus istius loci  
 ubi appellatio est introducta Stylus Curia, aut etiam ordina-  
 tio Processus expressa observatur, non attento unde acta fue-  
 rint transmissa. Conf. Magnif. D. Stryk. Ex. Jur. Feud. Cap. 1.  
 Qu. 25. & Dn. Philipp. Us. Pract. Inst. Lib. 1. Ecl. 6. Berlich. Decis.  
 150. n. 73. Knipschild. de Privil. Civit. Imperial. Lib. 5. Cap. 2. n. 24.

Jurisdictioni autem statuentium nosmet submittimus *Declaratio*  
 vel expresse per homagium; quod non tantum advenæ præstare  
 tenentur si singulis civitatis juribus ac privilegiis frui cupiunt  
 Knichen. de Jurisdict. Territor. Cap. 3. n. 162. sed etiam hoc casu  
 in filiis renovandum, qui sese à lare paterno separant, aut  
 defuncto parente focum & ignem tenere volunt vid. Weh-  
 ner/Obf. Pract. voce Bürger. vel tacite (1) Contrahendo aut  
 quasicontrahendo l. 2. C. Quemadm. Test. Aper. l. 6. ff. de Evict. ibiq;  
 Dd. sive per literas, ubi statuta loci attendenda, in quo con-  
 sensus conjunctus Berlich. P. 1. Conclus. 38. & P. 2. Decis. 181. in fin.  
 sive in scriptis; quo casu ad statuta loci scripturæ perfectæ re-  
 spiciendum Zang. de Except. P. 2. C. 1. n. 44. pr. Inst. de Empt. &  
 Vend. l. 17. C. de Fid. Instrum. nisi agatur de exactione dotis l. 65. ff.





*de Jud. ibique Det.* (2) Delinquendo *Auth. Qua in provincia C. Ub. de Crim. l. 9. ff. de Extraord. Crim.* respectu habito, tam ubi delictum inchoatum, quam ubi consummatum *l. 1. C. Ub. de Crim. ibique Dn. Brunn. & in Process. Inquis. Cap. 3. n. 17. & seqq.* sive illud inchoatum vel consummatum sit in uno loco ratione utriusque tam agentis quam patientis, sive ratione alterutrius tantum *Dn. Brunn. d. Cap. 3. n. 19. Dn. Carpz. Pr. Prim. P. 3. Qu. 110. n. 37.* Aliud si quis in territorio Titii mortifere alterum vulnerasset, qui in territorio Caji mortuus; quo casu solius Titii statuti delinquens se submisisse censetur *arg. l. 15. §. 1. in fin. & l. 17. pr. ff. Ad L. Aquil.* Sicuti etiam si civiliter agendum statuta solius delicti consummati attenduntur *arg. l. 1. C. Ub. de Crim. Conf. Zoef. in Comm. ad ff. de Jud. n. 75. Gail de Pign. Obs. 3. n. 11. & Obs. 14. n. 3. & Obs. 15. n. 2. & 3. Idem de Arrest. Cap. 7. n. 12. l. 3. ff. de Off. Pres. Befold. Dissert. de Process. Jud. C. 1. §. 13. Mey. P. 2. D. 4. Wehn. Obs. Pract. voce Landes. Fürstl. Obr.* (3) Testamentum condendo *vid. Myns. Lib. 5. Obs. 20. n. 4. Gail. L. 2. Obs. 123. n. 3.* (4) Succedendo ab Intestato *Gail. Lib. 2. Obs. 124. n. 18. Köpen. Decis. 31. n. 9. Coler. de Process. Execut. P. 1. C. 3. n. 228. cum seqq. Cothmann. Cons. 21. n. 124. usque ad fin. & Cons. 49. n. 114. & seqq.* (5) Sic etiam litigans respectu eorum quæ ad judiciorum ordinem pertinent statuti loci litigii subjicitur *l. 25. C. de Episc. & Cler. junct. c. Quod. Clericis X. de For Compet. &c.*

XVIII.

§. 18. In omnibus judiciis potior causa habenda est æquitas quam stricti Juris *l. 8. C. de Jud.*

*Ratio.*

Cum Jus nostrum generaliter intellectum & applicatum sæpe in injuriam degeneraret, & dehinc ne impingat in Justitiã Naturalem, emendatione quadam seu attemperatione vel potius vera legislatoriæ intentionis explicatione indiget. *Conf. l. 19. ff. de R. J. l. 2. §. 2. de Aqu. & Aqu. Pluv. arc. l. 21. ff. de Interrog. in Jur. faciend. Rittershus. ad Nov. p. 125. & 523. n. 48.*

*Exemplum.*

Sic, debitor in solutionem condemnatus, si elapso termino Sax. eandem non offerat, realiter effectui danda sententia, nec



nec alia præterquam solutionis vel compensationis intra terminum executionis liquidæ contra eam admittenda, & debitor in omnem eventum, si iis desistere nolit in reconventionem, remittendus secundum *Ord. Process. Sax. Tit. 39. §. 3.* Ex æquitate tamen quinquaginta & tres alias exceptiones quæ executionem impediunt, numerat Berlich. *P. 1. C. 84. per tot.* Add. Dn. Carpz. *Process. tit. 22. art. 3. & P. 1. C. 22. D. 54.* nec non *L. 2. R. 2.* Dn. Brunn. *Process. Civil. cap. 1. n. 50.* Dn. Nicol. *Process. P. 3. c. 12.* Quarum Dn. Martin. *in Comm. ad §. 1. d. Ord. Process.* triginta & sex recenset, atque Sanctionibus Publicis, & probatissimis aliis Practicis confirmat. *Add. l. 40. ff. de Petit. Hered.*

Imo & hoc æquitatis temperamentum, non in humanis tantum sed etiam ipsissimis Decalogi legibus obtinet: Quamvis in se spectatæ res antecedenter & intrinsecè malæ neque ab ipso DEO dispensationem recipiant: uti, præter ea, quæ supra *Posit. 5. h. 1.* allegavimus, contra quosdam Bordonus Theol. Parmens. in *Tr.* quem Anno 1668. edidit inscriptum: *Propugnaculum opinionis probabilis in concursu probabilioris cap. 2. n. 3.* defendit. Neque in stricti juris contractibus interpretandis excludenda æquitas Dn. Brunn. *in Comm. ad l. 8. C. de Jud. n. fin.*

Non tamen iudex in reddendo jure leges, quarum rationem non statim iudicio suo, vel ex primo aspectu assequitur argutiarum, vel supervacanearum subtilitatum arguere debet, ne de simplici & plano ex naturali suo intellectu sæpius contra rationem naturalem composito supposita confictæ æquitatis suppositione lites dirimat.

Sed distingvendum inter æquitatem, quæ legem interpretatur & relaxationem. Hæc legem probabili ex causa tollit, vel ejus vim suspendit, illa declarat factum ab initio mente legis non fuisse comprehensum. *Grot. de J. B. & P. lib. 3. cap. 20. §. 47.* Hæc ad Regalia, seu Majestatis jura refertur; illa vero ad Jurisdictionalia *Mev. ad Jus Lub. lib. 4. tit. 15. art. 1. num. 20.* Cum enim de omnibus non sint leges scriptæ, nec à Legumlatoribus omnia potuerint prævideri *l. 10. & 12. ff. de LL.* inde ea de quibus nihil certi lex definit arbitrio Judicis necessario sunt





relinquenda l. 4. §. 2. junct. l. 6. ff. ad L. Jul. Pecul. l. 3. C. Ex quib. caus. infam. irrog. ut, quoad facti quaestionem, quæ quidem in potestate judicantis collocata l. 15. pr. ff. Ad Municip. cujus tamen interpretatio etiam prudentissimos sæpius fallit l. 2. ff. de J. & F. J. motum animi sui confirmet ex principiis prudentiæ civilis, Juris Naturalis & Gentium, ut prius dispiciat, in quod genus delicti propter circumstantias ratione modi, temporis, loci, instrumentorum &c. incidat arg. l. 16. ff. de poen. Add. l. 1. §. 3. ff. Ad Scit. Turpill. l. 39. ff. Ad L. Jul. de Adult. ne aliquando ex supina & dolosa sua negligentia infamiam incurrat, vid. l. 79. §. 1. ff. de Jud. l. 8. §. 2. C. ad L. Jul. de Vi Publ. l. 2. C. de poen. Jud. qui mal. Jud. aut non juste vindicatum crimen ipse luere teneatur c. Preterea. c. 23. qv. 18. Cujus exemplum est in l. 3. C. Ne S. Baptisma reit. §. l. 1. C. de Pagan.

Quod si autem ipse casus diserte sub lege contineatur, ut expresse appareat Legislatorem velle indistincte legem obtinere contra hanc Legislatoris voluntatem nulla æquitas attendenda l. 12. §. 1. ff. Qui & à quib. man. sed potius si legem Juri Divino contrariam deprehendat, quæ decet submissione Principi referat sibi hoc vel illud ex Legge Naturali vel Divina obstaculum videri, & interea modeste potius deprecetur pœnæ executionem vid. Reinking. de R. S. & E. lib. 1. cl. 1. cap. 4. num. 4. Quam tamen si Princeps nihilominus sub comminatione gravis pœnæ imperaret quævis potius pati, quam in malo consentire debeat c. Itane c. 32. qv. 5. l. 15. ff. de Cond. Inst. Oldekop. tit. 2. Obs. 6. n. 6.

XIX.

Interpretatio consistit in dextra accommodatione Juris scripti ad singulares casus cotidie obvenientes. vid. Illustris Dn. Struve h. t. §. 18. in fin.

Ratio.

Cum enim leges statuuntur de rebus contingentibus, actionibus scil. & negotiis hominum quæ sunt in determinatæ h. e. non certo modo, sed nunc hoc, jam illo se habent; ideo inter hæc non determinata seu infinita potius statuendum, de eo



eo quod ut plurimum obtinet, quia hoc certius altero habendum, quod raro accidit. Insuper quoniam hæc conditio quæque Legislatoris est, quæ hominis, quod possit quædam omittere; negotia quoque civilia non parum incerta ob infinitam pene multitudinem circumstantiarum, quæ humanarum actionum naturam immutant, quas omnes prævidere & accurate definire non potest congenita humani iudicii imbecillitas: *l. 10. & 12. de LL.* & omnia particularia quotcunq; modis aliquid fieri unquam potest, legibus comprehendere, est impossibile. Adeoque per consequens, si lex in universum statuerit, & præter universale postea quippiam contigerit, oratione quatenus legislator omisit, absoluteque ac simpliciter constituit, corrigendus defectus, cum hoc Legislator etiam ipse, si adesset, diceret, & si scivisset, ita præscribentem legem instituisset.

Sic lex in universum sancit eum qui depositum non reddiderit infamem esse atque ignominiosum. Eumque qui murum, ascenderit, a civibus esse interficiendum. Utrumq; horum justum plerumq; sed accidit tamen, ut interdum justum minime sit, sed peccatum v. gr. si quendam eo nomine vellent interficere, quod ingruentibus hostibus in murum ascenderit, fortiter se gesserit atq; urbem defenderit. Si enim id scivisset legislator eventurum esse, legi procul dubio addidisset, atque legem in hunc modum concepisset seu scripisset: Unusquisque qui in bello murum ascenderit, occidatur, nisi quis defendendæ urbis causa id fecerit fortiterque se gesserit.

*Exempla*

Quamvis autem leges Justinianæ in modum artis quam latissime traditæ, ita, ut etiam de illis quæ raro accidunt nonnunquam statutum habeant: cuiusmodi exemplum præ cæteris insigne est, quod supra jam allegatum ex *l. 31. ff. Depos.* ubi sancitur depositum esse reddendum ei qui deposuit *vers. Hæc est b. f.* verum additur, deponenti id non restituendum, si is sit deportatus & bona ejus publicata, neque si prædosus sit, in repetitione cum vero domino concurrens. *d. l. pr. & §. 1. Ita in l. 12. ff. de Testib.* Ad testimonium duo testes sufficiunt *l. fin. C. eod. l. ult. C. de Donat. Mort. Caus. quinque requiruntur,*

*Ampliatio*

*Ampliatio*





tur, septem l. 21. §. 2. C. de Testam. pauciores l. fin. Eod. Ex L. XII. Tab. quinta est: Paterfam. uti legasset super pecuniæ tutelæve suæ rei, ita jus esto. Quæ equidem universalis valde est & ratione subjecti, & quoad modum: verum postea adeo est coangustata vel interpretatione vel legum autoritate ut dicit Pompon. Lib. 5. ad Qu. Muc. per l. 120. de V. S. pr. Inst. de L. Falcid. ut non nisi particularem propositionem faciat: Quoddam, scil. quod Paterf. de rebus suis legat pro Jure esto. Atque exinde extitit solenne: Hoc vel illud esse verum regular. aliud specialiter receptum l. 9. de Pet. Hered. l. 1. l. 202. de R. J. Procedere per regulam & exceptiones seu limitationes l. 5. de Probat. pr. Inst. de Satisdat. l. fin. C. In quib. caus. rest. id in integr. c. An decimas de Rest. Spol. in 6. l. 12. §. 43. vers. Denique de Inst. & Instr. l. 4. §. pen. de Pen. Leg. l. 3. §. fin. de Prævar. l. 5. C. de Repud. l. 19. C. de Collat. Nihilominus tamen negari nequit nec verba legis semper posse intelligi, ob obscuritatem, ambiguitatem, adeoque adhuc interpretatione indigere arg. l. 19. de LL. Et licet mens legis certa sit, dubium esse potest an præsentī casu idem quoque vel non statuendum; an huic Reip. statui conveniat.

Imo aliquando hæc omnia constant; tamen haud absurde dicitur illa quoque facto applicari de quo quæstio est; nam & propter verba quæ manifesta sunt, fit ista accommodatio beneficiō interpretationis declarativæ, & propter rationem, quæ inest; lex enim regula est & mensura actionum humanarum l. 2. in fin. de LL. Quomodo in causis Criminalibus lex, cui decisio inicitur, licet manifestissima, aliquando adjicitur, v. gr. in homicidio doloso: daß N. ihm zu wohlverdienter Straffe u. andern abscheulichen Exempel / vermög Kayser Carls des V. und des h. Reichs Peinlicher Halsgerichts Ordnung unter 137. Articul mit den Schwerd vom Leben zum Tode zusiraffen sey.

*Declaratio*

Pro quorum declaratione necessario notandum suos interpretationi gradus esse. Cum alia interpretatio sit *universalis* totius Juris alicujus Populi, velut Atheniensis vel Romani



ni summam complectens, uti Dn. Lauterbach. in *Pref. Compend. Jur. p. 1. & 2.* de Legibus Justinianeis differit. Eiusmodi etiam est omnium titulorum seu Rubricarum connexio & summaria explicatio.

Datur etiam interpretatio *generalis* cujusque tituli summam exhibens: Quæ fere tripliciter fieri solet: vel secundum verba; unde interpretatio paratitularis qualem in Institutis feliciter præstitit Theophilus, in Digestis & Codice Cujacius, & olim Summistæ. Vel capita assignando, singula ejus membra explicando; eoque leges revocando, uti videmus subinde factum in componendis legibus Digestorum, quando vel propositio Edictio Prætoris, vel Lege aut SCto ad ejus interpretationem reliqua applicantur, certisque capitibus totus titulus distinguitur. Quo etiam pertinent, quæ nomine Commentarii ab Interpretibus sunt proposita.

Quædam adhuc est interpretatio *Specialis*; ubi singuli legis cujusque articuli exponuntur: quid lex velit, cur ita velit, quæ vis ejus sit & utilitas, quomodo plures leges in speciem dissentientes concordent, an proficiat Reip. legem sic latam esse quæque magistratus circa eam potestas. Ac ideoque quadruplex in universum interpretatio existit *Authentica, Scholastica, Forensis, Politica*; ex quibus tres ultimæ huc pertinent.

*Scholastica* quid sit ex dictis quodammodo constat. Alia ejus species est, quæ exponit, quid lex velit tam secundum Subjectum, quam Prædicatum, argumentis utens præcipue historicis, grammaticis, dialecticis ad verborum obscuriorum interpretationem, antiquitatis explicationem, si quæ ad rem opus; rerum quæ noscendæ præmissionem; legis, si opus, divisionem; casus figurationem, totius in unam summam conjunctionem; scripturarum sicubi diversæ sunt, considerationem, & quæ recte sese habeat examinationem. Unde etiam *Simplex, Declarativa & Historica* aliquibus dicitur quod respectu cæterarum interpretationum saltim pro historia legis se habeat, & Jcti istâ contenti, Critici atque Humanistæ vocantur.



Quo etiam referunt interpretationem *Ætiologicam* occupatam maxime in ratione legis investiganda ab occasione & causa impulsiva, rationibus dubitandi & constituendi seu decidendi, nec non refutationibus contrariorum proponendis ex statu præcipue conjecturali, finitivo, & Juridiciali.

Non minus quoque huc spectat *Pragmatica* illa, ab usu legis sic dicta, legis vim & utilitatem demonstrans (1) notabilia, sive expresse sive tacite insint, colligendo, ut cum ex specialibus constitutionibus generales sententiæ proponuntur, (2) similia, seu quæ effectu eadem, ut & repugnantia annotando: (3) Ex verbis clavis tacitam voluntatem seu mentem colligendo, extendendo restringendo.

*Forensis* interpretatio occupatur maxime (1) in cautionibus tum negotiorum inter vivos & causâ mortis, tum in formulis actionum, quæque ad ordinem judicarium pertinent. (2.) In *Fori Quæstionibus*. Quarum duo capita, alterum ad inventionem earum spectans, alterum ad decisionem.

Inventionis duplex munus est (1) Ut intelligatur, quid sit in quæstione, æstimandum ex actione intentata, objecta, exceptione, replicatione, & utrinque facta conclusionem. Hinc enim, & ex concursu conflictuque istorum omnium demum quæstio exoritur, seu disceptatio. (2) Ut sciatur qualis sit Quæstio, h.e. in quo statu, an conjecturali, finitivo, juridiciali.

In Decisionibus autem (1) videndum, an sint pacta seu contractus, transactiones, utpote leges privatæ. *l. 23. de R. J. l. F. 14.* (2) An statuta, consuetudo *c. 13. X. de Jud. Conf. supr. Posit. 15.* (3) Num ex rebus judicatis & in judicio contradictorio obtentis res decidenda *l. 37. de LL.* (4) An & quomodo ex Legibus Cæsareis, Ecclesiasticis Receptis, & quidem vel directo, vel per consequentiam, argumenta, & similitudines decidendum *l. 17. de LL. §. fin. Inst. de Off. Jud. 2. F. 1.* (5) An ex interpretationibus & sententiis Doctorum; (6) Num ad Nomothetam in re difficili, quæque exitum non habeat, recurrendum, sit *d. l. 1. §. fin. C. de Leg. Nov. 142. pr. l. 50. de R. J. c. 12. de Jud.*

*Politica* denique interpretatio in Rep. & Senatu proprie  
refi-



residens attendit (1) quat. ad administrandam Remp. statuta  
utilia sunt vel minus, adeoque circa leges certa ratione con-  
dendas, corrigendas, tollendas occupatur: arg. l. 23. de LL. vel  
(2) versatur circa leges conditas interpretandas, adjuvandas,  
supplendas, quod Dicastices proprium & Magistratus arg. l. 12.  
13. ff. Eod. l. 7. §. 1. de J. & J.

XX.

Quoties ratio legis generalior est verbis, to-  
ties ad casus similes extendi potest.

S. 19.

Cum enim leges circa actiones humanas tanquam mera  
contingentia versentur l. 3. cum seqq. ff. de LL. de contingentibus  
vero in universali quid verum dicere impossibile sit, ut sub ra-  
tione Posit. preced. ostensum; hinc non usque adeo exacte o-  
mnia definiri possunt, praesertim ubi ad particularia devenitur,  
ut nihil supplendum reliquum faciant. l. 10. cum seqq. ff. de LL.

Ratio.

Sic, cum circa facti actionem, quod a familia commissum  
haec ratio sit, ne ex uno delicto tota familia dominus careat,  
eaque ratio in actione damni injuriae interveniat; sequitur,  
quod idem debeat aestimari, secundum Gajum l. 32. Ad L. Aquil.  
Qui etiam L. Juliam quae dotali praedio prospexit; ne id ma-  
rito liceat obligare, aut alienare ad sponsum extendit l. 4. ff. de  
Fund. Dot. Cujusmodi alia exempla referunt Justinianus l. ult. C.  
de Const. Pec. & Ulp. l. 7. §. 2. ff. de Jurisdic. junct. l. 16. ff. de Sponsal.

Exempla.

Adeo ut etiam procedat in Correctoriis & Poenalibus,  
quatenus ratio est intrinseca ex qua & alii casus necessariam  
connexionem habent in ordine ad justitiam & prudentiam  
legis, ita ut vi illius rationis intelligantur comprehensa etiam  
omissa; cum alias lex non videretur justa si non foret adaequa-  
ta suae rationi. Sive ratio illa in lege sit expressa sive non, mo-  
do certo constat eam esse rationem legis: quae non habet effe-  
ctum quia scripta, sed quia in se talis secundum Zoef. ad ff.  
de LL. n. 6. 5. Add. Everhard. Topic. Legal. Loc. à Ratione Legis n. 63.  
§. Hac regula tamen & seqq. Quamvis talis interpretatio quae  
sit ex rationis in lege expressae identitate non sit tam Extensiva

Ampliatio.





quam Comprehensive Dn. Brunn. *Prælect. Publ. ad Reg. Jur.*  
*Can. 15. n. 13.*

*Limitatio.*

Modo aliquid non principaliter contra Jus Comm. sit, constitutum *l. 14. cum seqq. de LL. c. 28. de R. J. in 6. l. 141. Eod.* Quales sunt quæ de Restitutionibus Minorum & Intercessionibus mulierum latae sunt, quæ non dantur Rusticis & Senibus ob eandem rationem, licet forte quidam rustici imperitiores & magis lubrici quam minores & foeminae. Huc etiam spectant omnia odiosa: ut rescripta & privilegia in alterius præjudiciũ tendentia, quæ semper ita interpretanda ut quam minimum noceant *l. 7. C. de Divers. Rescript. c. Quamvis Eod. in 6. l. 2. §. 16. ff. Ne quid in loc. publ. nisi forte alias plane fuerint inutilia.* Hinc privilegium Domino competens porrigitur etiam ad personas accessorias & familiares arg. *Auth. Habita C. Nefil. pro Patr. ibique Dd.*

Modo insuper adsit identitas rationis non tantum similitudo, si versamur in odiosis & pœnalibus: licet enim impositio pœnæ secundum generalem rationem æqualitatis fundetur in ratione Justitiæ; in determinatione tamen talis pœnæ ad talem casum pendet magis ex voluntate legislatoris quam ex ratione; unde similitudo alterius rationis, quæ in simili casu militat ad extensionem non sufficit. Dn. Franzk. *in Comm. ad ff. de LL. n. 67.*

*Declaratio.*

Generalitas autem illa rationis apparet (1) Ex aliis ejusdem legis partibus; quando lex speciei unius exemplo utitur; definitione tamen alioquin generali sive præcedenti sive subsequenti vid. *l. 9. §. fin. ff. de J. & F. J.* (2) Ex alia lege cujus exemplum est *l. 8. ff. de Condict. Furt. junct. l. 3. §. 1. ff. Commod.* (3) Ex Legibus contrariis ut in *l. 22. ff. de LL. l. 1. vers. Hujus rei ff. de Off. Ej. cui mand. est jurisd.* Huc pertinent regulæ vulgatæ: Contrariorũ contraria sunt consequentia. Cum lex in præteritum quid indulget sive ignoscit, in futurum vetat seu in statu prohibitorio relinquit vid. *l. 2. C. de General. Abolit.* (4.) A consequente ad Antecedens quatenus consequenti prohibito censetur omne prohibitum per quod ad illud pervenitur vid. *l. 16. ff. de Sponsal. l. 7. §. 1. ff. Qui & a quib. man. l. 5. pr. de Don. int. vir. &*

*n. x.*



*ux. l. 3. in fin. § l. 1. §. 3. ff. Ad SCt. Maced. (5) Ex publica utilitate vid. l. fin. ff. de R. D. (6) Ex æquitate l. 8. C. de Jud. Add. l. 32. ff. Ad L. Aquil. & Dn. Hahn. in Comm. ad Paratit. Wesenb. de LL. n. 8. ibique all. Dd.*

Quoties verba generaliora sunt ratione legis, toties lex non extendenda, sed restringenda.

Cum alioquin si quis neglectâ sententia & mente legis saltim verbis ejus in hæreret in fraudem legis faceret; *l. 29. ff. de LL. Non vero oportet Jus Civ. calumniari, neque verba capari, sed quâ mente quod dicat, animadvertere convenit ait Paulus l. 19. ff. Ad Exhib. Add. l. 17. de LL. l. 6. §. 1. de V. S. l. 5. C. de LL. c. Humanæ aures 22. qu. 5.* *Ratio.*

Hinc quamvis non adjiciat Prætor; Causâ cognitâ se *Exempla.* pœnale judicium daturum contra libertum qui Patronum sine venia in jus vocavit, tamen Labeonem dixisse, moderandam jurisdictionem, veluti si pœniteat Libertum, & actionem remittat, vel si Patronus vocatus non venerit, aut si non invitatus sit; licet Edicti verba non patiantur per text. *l. 11. ff. de in Jus voc.* Eodem modo quamvis ob sexus imbecillitatem, & infirmitatem Judicis generaliter nulla fœmina pro alio intercedens ob SCt. teneatur *l. 2. ff. Ad SCt. Vellej.* si tamen aliqua fœmina forte mentita negotium suum non esse, quod tamen ejus fuit pro quo se obligavit, & sic creditorẽ suum deceperit, SCto non juvatur, sed obligatur efficaciter ad solvendum *l. 2. §. 3. ff. Eod.* Pariter ut si certam pecuniæ summam, adeoque lucrum ex fidejussione captaverit vid. *l. 23. C. d. t. ibique Dn. Brunn.* Aliud Exemplum vid. *l. 6. §. 2. ff. de Jur Patron.*

Modo tamen illa ratio restrictior sit Principalis, Proxima, *Limitatio.* & Finalis: aliàs, si tantum Remota, & Impulsiva ex tali legis ratione lex non restringitur vid. *l. 1. §. 5. ff. de Postul.* Modò insuper cesset ratio legis in communi, non solum in particulari arg. *l. 1. §. 3. ff. de Minor.* ubi adolescentes minores 25. annis, etiamsi rem suam bene gerant curâ non liberantur, quia hoc raro contingit. Sic, etiamsi impubes judicio ætatem prævertat, testamentum illius tamen non valet, sicut contra puberis,





licet adhuc infirmitate iudicii laboret, bene subsistit vid. l. 4. in fin. C. Qui test. fac. & pr. Inst. Eod. nec non Dn. Frantzk. d. l. n. 75. 85. & seqq.

Declaratio.

Desumi autem illa restrictio rationis itidem (ut in Positione præcedenti de ejusdem generalitate dictum) poterit (1.) Ex aliis ejusdem legis partibus ut in l. Labeo §. 1. ff. de Supell. Leg. l. 9. ff. de J. & F. J. l. 8. ff. Transact. Add. l. 24. ff. de LL. l. 80. ff. de R. J. (2.) Ex alia lege limitante, distingvente, vel etiam determinante ubi lex posterior de iisdem rebus & personis loquitur l. 26. & 27. ff. de LL. Sic Auth. offeratur C. de L. C. simpliciter satisfactionem exigens de iudicio fisci, limitationem recipit: nisi possideat immobilia ex l. 15. ff. Qui satisd. cog. (3.) Ex natura subjectæ materiæ. Hinc cum ex natura depositi lata culpa tantum præstetur per vulgaria principia l. 5. ff. de Commod. l. 23. de R. J. per culpam simpliciter requisitam. l. 32. ff. Depos. culpam latam intelligunt. Videatur tamen Dn. Frantzk. Comm. ad ff. de pos. n. 90. cum seq. Alia hujus exempla observare licet l. 1. §. 1. junct. §. 6. & l. 14. §. fin. l. 43. de Ædil. Edict. Idem in l. 2. §. 1. junct. §. 2. Ad SCt. Vellej. (4.) Ex proprietate sermonis; ut hinc si jurisdictio alicui cum territorio concessa simplex tantum intelligatur l. 3. ff. de Jurisd. nisi manifesta Legislatoris voluntas aliud svadeat l. 69. de Legat. 3. (5.) Ex evitacione absurdi l. 19. de LL. l. 60. de Aur. & Arg. Leg. l. 11. ff. Locat. Hinc quibuscunque verbis lex concepta fuerit; restringitur, & de eo jure idoneis intelligitur, quotiescunque impedimentum Juris Naturæ vel Gentium subest, ut in l. 41. de Jurejur. l. 41. pr. & §. 1. l. 3. §. Sed utrum. ff. Ad SCt. Syllan. l. 2. §. 32. vers. Quæsitum est ff. de Usuf. Legat. l. 2. C. de Ped. Jud. l. fin. de Appell. Recip. Add. Dn. Hahn. d. l. & Dn. Frantzk. in Comm. ad ff. de LL. n. 70. seqq.

XXIII.

§. 20.

Quotiescunq; super re Jure non decisa, vel dubia semper unanimiter ex certa ratione fuit judicatum, toties exinde jus oritur, & per consequens sequendi necessitas.

Ratio.

Sic enim rescripsit Imp. Severus: rerum perpetuo (sæpius) judicatarum autoritatem vim legis obtinere secundum Callistratum l. 38. ff. de LL. tum, quia Jura non præsumunt aliquem





quem gravari in eadem causa à diversis iudicibus, tum, ne li-  
tes fiant immortales l. 13. pr. C. de Jud.

Sic causus maxime dubii, qui sæpius in Concurſu Credi- *Exempla*  
torum decurrunt, plerumque ex iudicatu Camerae deciduntur  
Conf. Dn. Mev. Part. 5. Decif. 283.

Quod Dn. Hahn. *Comm. ad Paratitl. Wefenb. ff. de Re Jud. Ampliatio.*  
n. 8. non tantum in ſententiis, ſed etiam in iſſis conſiliis ſive  
cum rationibus dubitandi & decidendi ſive ſine illis à duobus  
vel tribus diſtinctis collegiis conformiter conceptis verum eſſe  
fatetur; Cum quo etiam facit Beſold. *Theſ. Pract. voce Beleh-*  
*rungs-Urtheil.*

Modo tamen adſit (1.) Eadem vincendi cauſa, ſeu eadem *Limitatio.*  
res petatur, quam per qualitatem, ipſum corpus & jura pluri-  
bus explicat Zang. *de Except. p. 3. c. 17. n. 5. cum ſeqq.* (2.) Ea-  
dem ſubſit petendi cauſa, quamvis alio genere actionis res  
petatur l. 3. 5. 11. §. 4. l. 14. pr. ff. *de Except. Rei Jud. l. 4. C. Depos.*  
*l. 13. C. de Uſur.* Ut ſi quis in vindicatione fundi contrariam  
ſententiam tulerit, poſtmodum actione conſeſſoria ſervitu-  
tem eundi in eum fundum præſtendat ex fundo vicini vid. l. 18.  
*ff. de Except.* (3.) Eadem perſonarum conditio concurrat,  
ſive inter eaſdem perſonas earumque ſucceſſores tam uni-  
verſales quam ſingulares, eadem quæſtio revocetur l. 2. 3. 4.  
*§ l. 27. ff. de Except. Rei Jud.* Conf. Carpz. *P. 1. c. 26. D. 15. § 16.*  
*Proceſſ. tit. 16. art. 4. n. 29. cum ſeqq.*

Quæ ſubefſe non creduntur ſi à duabus conformibus ap- *Declaratio*  
pellatum, & in tertia ſententia appellatio pro deſerta habita,  
vel reſiſio negata Dn. Mev. *P. 1. D. 28.* Imo in Camera Imp.  
non attenda trium ſententiarum conformitate etiam quarta  
appellatio recipitur ne alias Status Imperii in ſuis ditionibus  
plures inſtancias conſtituendo, iurisdictionem Supremi Tri-  
bunaliſ eludere poſſint Mynſ. *c. 1. o. 15.* Dn. Brunn. *ad l. un. C. Ne*  
*lic. in un. ead. cauſ.* XXII.

Quoties de ſpeciali obſervantia Iudicii inferioris non  
conſtat, toties extendenda obſervantia Iudicii Superioris,  
ſeu Camerae Principis.

Cum ſecundum eſſatum Juſtiniani §. *ult. Inſt. de Satisdat. Ratio.*  
neces-





necesse sit omnes provincias regiam urbem istam, quæ caput omnium Principis Civitatum est, ejusque observantiam sequi.

*Ampliatio.* Tam in Causis Civilibus quam Criminalibus, & quidem in his eò magis, quo majus subest præjudicium & periculum, vid. Carpz. *Pr. Crim. P. 3. Qu. 103. n. 3.* & Dn. Mev. *P. 2. Dec. 103. pr.*

*Limitatio.* Modo observantia Judicii Superioris rectæ rationi fuerit consentanea, alioquin enim non videndum, quid Romæ fiat, sed quid fieri debeat per *l. 12. ff. de Off. Pres.*

*Declaratio* Insinuatur autem simul in ipso axioma quod secundum vulgarem Dd. distinctionem, si in Judiciis inferioribus specialis & diversus stylus circa ordinationem judicii jam fuerit receptus, ille debeat retineri Mev. *P. 3. D. 279. Fib. Process. Membr. 1. cap. 2. in fin.* Quamvis autem in judicio inferiori peculiaris stylus curiæ habeatur; cum tamen in his, quæ ex delegatione dependent alterius non sit jurisdictio Dn. Mev. *P. 5. D. 203. n. 2. per l. 1. §. fin. ff. de Off. Ej. Cui mand. est Jurisd.* Add. Zœl. *Comment. ad ff. de Jurisd. num. 48.* Delegatus personam Superioris hoc passu repræsentans, licet forte alio respectu in eo loco ordinarius judex sit, tamen stylum Superioris Judicis observabit. Aliud si causam Judex superior ad inferiorem remiserit, cum ita ut ordinarius judex jurisdictionem exercent, quod secus est in delegato Magnif. Dn. Stryk. *Tom. 1. Disp. 23. cap. 6. n. 21. cum seqq.* XXIII.

*§. ult.* Negotia humana unicum Jurisprudentiæ nostræ Objectum constituunt.

*Ratio.* Objectum enim rei cujuscunque in genere est, in quod quis vult finem inducere, negotia autem humana ad Justitiæ normam conformanda.


*Declaratio* Illa vero negotia vel circa Personas versantur, vel Res acquirendas, vel circa Actiones; non quat. stricta acceptione Judicia solummodo intelliguntur, sed quat. omne legitimum & jure permissum factum quo Jus quoddam aut Personale aut Reale licito ac permissio modo acquiritur, conservatur, amittitur, ut sunt Statum, Obligationes, Dominia, Possessiones, acquirendi modi arg. *l. fin. ff. de LL.* Hinc aliud Jurisprudentiæ objectum Operationis; aliud Cognitionis.

S. D. G.












W.M.

ULB Halle  
003 142 973


3











V. D. N. J. C. 1684, 15 17

ET AUTORITATE  
fctorum Ordinis

DE  
ET CONSTI-

ONE JURIS,  
RELECTIONIS

VSTRIS  
JURISPR. ROMA-

M. FORENSIS  
I. TIT. I. & II.

RÆSIDIO  
R A M T Z / J. U. D.

r. Jenens. Advocati  
Ordinarii,

orio fctorum  
ugusti, CID IDC LXXXIV,

CONSVETIS  
disputabit  
JACOB. Bienecken/

Quedlinb.  
ET RESPONDENS.

JENÆ  
NISIANIS.

16.